The Cicognara Library: Literary Sources in the History o

Published by the Leopoldo Cicognara Program at the Universit
with the Vatican Library. Directors Leonard Boyle, O.P., Prefec
Fehl and Lizabeth Wilson, the University of Illinois. Editorial a
Undergraduate Library, University of Illinois at Urbana-Champ
Urbana, Illinois 61801, USA.

Location of Originals:
The Vatican Library

Title Numbers:
There are two numbers on the header of each microfiche.

The number in the top right hand corner is the unique microfich
This number corresponds to the entry in the *Catalogo ragionato d*
Conte Cicognara (Pisa, 1821) reproduced as title 1 in the microfic
filed in numerical order.

The number below is the number of the microfiche in the title, i
in the set of 6.

Technical Data:
Producing Laboratory: Vatican Library Photographic Departme
Microfiche Copies: Made by Chadwyck-Healey Microform Publ
Cambridgeshire, United Kingdom
Date of Microfiche Edition: 1989-
Format: 30, 49, 60 or 98 frame, 105 x 148 mm, 24x nominal redu
Film Type: Positive, silver halide, archivally permanent, process

Permissions & Copyright:
This title is reproduced by permission of the Vatican Library. Th
microfiche is the copyright of the Leopoldo Cicognara Program.
may be made without written permission of the Leopoldo Cicog
individual pages may be made for individual research and study

A Note on the Original Material:
The Cicognara microfiche edition reproduces the entire *Fondo C*
Leopoldo Cicognara (1767-1834) assembled the largest and most
on art, architecture, archaeology, art history and criticism in exis
detail in Cicognara's *Catalogo* (Pisa, 1821) which is the first title i
library was purchased by the Vatican in 1824 and continues to b



Sources in the History of Art and Kindred Subjects

Program at the University of Illinois Library in association
nard Boyle, O.P., Prefect, the Vatican Library, Editors: Philipp
ty of Illinois. Editorial address: The Cicognara Project,
llinois at Urbana-Champaign, 1408 W. Gregory Drive,

f each microfiche.

er is the unique microfiche filing number given to each title.
n the *Catalogo ragionato dei libri d'arte e d'antichità posseduti dal*
as title 1 in the microfiche series. The microfiche should be

microfiche in the title, i.e. 2 of 6 means the second microfiche

Photographic Department
-Healey Microform Publishing Services, Bassingbourn,

3 mm, 24x nominal reduction
vally permanent, processed to BSI & NMA standards.

f the Vatican Library. The arrangement of the pages on
ldo Cicognara Program. No copy of this complete microfiche
on of the Leopoldo Cicognara Program. Photocopies of
vidual research and study without reference to the publisher.

duces the entire *Fondo Cicognara* of the Vatican Library.
bled the largest and most judiciously comprehensive library
tory and criticism in existence. The library is described in
1) which is the first title in this microfiche series. Cicognara's
1824 and continues to be preserved as a unit.



G
VI. B. 5
20
344.

Pietro da Cortona Pietro Berrettini, detto

TABULAE ANATOMICAE

EX ARCHETYPIS EGREGII PICTORIS

PETRI BERRETTINI CORTONENSIS

EXPRESSAE ET IN AES INCISAE

OPUS

CHIRURGIS ET PICTORIBUS APPRIME NECESSARIUM

ALTERAM HANC EDITIONEM RECENSUIT

NOTHAS ICONAS EXPUNXIT PERPETUAS EXPLICATIONES ADJECIT

FRANCISCUS PETRAGLIA

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE PROFESSOR.



ROMAE ɔIↃIↃCCXXCVIII.

IMPENSIS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLAE

PRAESIDEM FACULTATE.

NATALI SALICETO VC.

PII SEXTI P. M.

ARCHIATRO

EJUSDEMQUE AB INTERIORE CUBICULO.



JOSEPHUS ANTONIUS MONALDINI BIBLIOPOLA

S.

Uum insignes Petri Berrettini Tabulas anatomicas jam alias quidem vulgatas, nunc tamen quanta maxima diligentia fieri potuit, perpolitas, perfectasque prælo reddere statuissem; visus sum mihi operæ pretium facturus esse, si Virum omni laudum genc-

genere cumulatum, eumdemque exquiſitiſſimi ſenſus hominem, qui amplitudine ſua, doctrinæque præſtantia Editionem ipſam honeſtaret, & in elegantiſſimis librorum Editionibus comparandis omni in vita verſatus, auctoritate ſua hanc quoque ceteris commendaret, potiſſimum patronum deligerem. Ac mihi quidem vix de tali eligendo patrono cogitanti Tu ſtatim occurriſti: quem ſicut ob ſummam medicæ artis peritiam, qua polles, ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poteſt; ita unus dignus es, in quem oculos, mentemque velut ad exemplum conjiciant, quicumque librorum aliquem delectum facere velint, elegantiæque dulcedinem deguſtare. Atque egregiæ virtutis tuæ laudes prædicandi copiam, facultatemque concedens multis, quod eſt Bibliopolæ proprium, ſelectas, & ad artis numeros exactas librorum Editiones pernoſcere, ac commendare, quoniam hanc artem profiteor, & in ea ætatem conſumpſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. Norunt quidem omnes ſtudia tua, quæ tantum tibi nomen, ſplendoremque conciliarunt; norunt tuum ingenium, cujus ab ineunte ætate documenta edidiſti vel maxima; norunt, quantum in medica arte profeceris, quantaque ex ea inde apud omnes hominum ordines extiterit, exiſtatque etiam nunc nominis, virtutiſque tuæ commendatio; norunt denique, quanta ſingularis doctrinæ fama, auditorumque utilitate in hoc Romano Lyceo quatuor, & viginti integros annos anatomicam facultatem profeſſus fueris; quique concurſus hominum non modo adoleſcentium ſtudioſorum, ſed doctiſſimorum quorumcumque, quorum eſt Romæ ingens copia, ad te fieri ſolerent, dum ſtatis de more diebus hujus Facultatis ſcholas in anatomico Theatro haberes: quo tandem factum eſt, ut, quum per omnes honoris, & præmiorum gradus in eadem facultate proceſſeris, dignus ſis habitus, qui Pontificius Archiater crearetur. Hæc manifeſta ſunt omnibus:

bus: quorum ideirco non poteſt niſi communis eſſe in hiſce laudibus extollendis prædicatio. Verum mihi liceat unum illud præ ceteris de te prædicare, in præclariorum librorum delectu, atque in nitidiſſimis quibusque, præſtantiſſimiſque eorum dijudicandis, nulliſque non ſumptibus Editionibus comparandis paucos eſſe, qui tibi conferri poſſint. Atque id ſatis, vel tacente me, magnificentiſſima illa, quam domi habes, Bibliotheca per ſe loquitur, in qua & flos extare ingeniorum, & typographici nitoris veluti exemplar videtur. Quam ob rem alteram hanc Petri Berrettini Tabularum Editionem a me typis commiſſam, & magnifico, ſumptuoſoque, quoad fieri potuit, apparatu concinnatam, ſtatui non alii potius, quam Tibi eſſe jure nuncupandam. Qua quidem ex re duplicem me fructum, eumque ampliſſimum conſequuturum puto, ut videlicet docti, graveſque viri intelligant, & me nomini tuo meritam laudem retuliſſe (quæ tamen jam tanta eſt apud omnes ut ei vix quidpiam alicujus præconio addi poſſe videatur), & Editioni huic meæ maximum præſidium ex auctoritate, patrocinioque tuo conciliaſſe. Innoteſcet enim ſic quotidie magis excelſus ille animus tuus, *nullius*, ut Flacci verbis utar, *avarus*, atque in una conſectanda virtute, ejuſque inſignioribus conquirendis ornamentis ſupra privati hominis conditionem occupatus: tum illud in meam utilitatem maxime cedet, quod Editio hæc mea tibi optimo harumce rerum æſtimatori inſcripta, atque probata judicio, jam ſibi maximam adeeſſiſſe ex ea re commendationem ſentiat. Omnes enim, qui tibi placuiſſe hanc meam Editionem intelligent, non poterunt, quin ſibi quoque placere eamdem debere arbitrentur. Quod ſi hæc obſervantiæ in Te meæ ſignificatio benevolo, libentique animo a te accipiatur, nihil plane erit reliqui, quod mihi hoc tempore commodius, nihil, quod honorificentius accidere poſſit. Vale.

CENSORUM AUCTORITATES.

DE mandato Rñi P. Th. Mariæ Mammachii S. P. A. Magiſtri vidi, & diligenter evolvi Librum, cui Titulus *Tabulæ Anatomicæ*, quæ feruntur a magni nominis Pictore Petro Berrettino *vulgo* Cortonenſi inciſæ (an a meo quaſi conterraneo Guillelmo Riva, an verioſimilius a Joanne Maria Caſtellano delineatæ?) ſecundis, ſed longe accuratioribus, ac ſeverioribus excellentis in re medica Viri Dñi Franciſci Petraglia curis renovatum, perpolitum, & auctum. Novam hanc libri Editionem forma, & emendationibus præcedente elegantiorem, gratam, utilemque nedum Medicis, ſed Pictoribus, & Statuariis fore non dubito: idcirco, quum in hac nihil contra fidem, bonos mores, & Principum obſequium haberi cognoverim, ad rei anatomicæ, ingenuarumque Artium incrementum Romanis Typis edi poſſe cenſeo. Romæ Id. Kal. Dec. MDCCLXXXVII.

Georgius Bonelli e Collegio Archiatr.,
Claſſis Medicæ in Romano Archigymnaſio Decanus, Soc. &c.

UT voluntati Rñi Patris Th. Mariæ Mammachii Sac. Palat. Apoſt. Magiſt. obſequerer, attente, diligenterque percurri Librum, qui inſcribitur: *Tabulæ Anatomicæ &c.* ab excellentis doctrinæ Viro, atque in Medicina in primis claro Franciſco Petraglia, ſecundis auctum curis, atque perpolitum, nihilque in eo deprehendi, quod pietati cujuſquam, aut religioni ulla in re obeſſe poſſit. Immo plane multa perlegenti mihi occurrerunt, quæ quum præfatum Auctorem hominem eſſe undecumque doctiſſimum, tum multo magis etiam anatomicarum rerum peritiſſimum, aperte oſtendunt: qui Icones humani corporis omnes, ac ſingulas partes exprimentes tam præſtabili eruditione, tamque acri, elegantique judicio declaraverit, ut Editio illa vetuſtior non emendata modo, & perpolita, ſed etiam e tenebris, in quibus jacebat, in ſplendidiſſimam lucem traducta, planeque renovata videatur. Quamobrem cenſeo, atque adeo in certam ſpem venio fore, ut non magis literati homines, Medici, & Chirurgi habeant ex hoc Libro, in quo ingenium, ac ſolertiam ſuam exercere, hoc ſi velint, oſtentare affatim poſſint, quam Pictores, Sculptoreſque, atque id genus Opifices plurimum etiam in his Iconum rationibus, ſi eaſdem accurate inſpiciant, adjuventur, multoque in arte ſua numeroſiores, elegantioreſque evadant.

Romæ Pridiè Nonas Decembres MDCCLXXXVII.

Andreas Maximinus in Noſocomio B. M. Conſolationis Chirurgus Primarius.

CUM juſſu Rñi Patris Sac. Palat. Apoſtol. Magiſtri Librum a Franciſco Petraglia e clariſſimis Medicinæ ſcientia, ſecundis auctum curis, atque perpolitum attente legerim, nihil prorſus in ipſo offendi, quòd rectæ Fidei Dogmatibus, aut morum probitati refragetur. Quin immo eumdem tam ſcite, luculenterque ſcriptum deprehendi, ut ſententiarum nitore, eruditionis, qua paſſim illuſtratur, copia, tum Iconum omnes, ac ſingulas humani corporis partes exprimentium perſpicua declaratione non magis Medicis, Chirurgis, Pictoribus, & cuivis anatomicarum rerum ſtudioſo, utilis, ac neceſſarius eſſe; quam hæc earumdem Iconum nova Editio antiquiorem illam, quæ adhuc in omnium manibus verſata eſt, non emendaſſe modo, ſed etiam longe aliam reddidiſſe, immo plane ſuperaſſe videatur. Romæ X. Cal. Decembres MDCCLXXXVII.

Joſephus Flajani PII SEXTI Chirurgus Ordinarius;
& Noſocomii S. Spiritus in Saxia Chirurgiæ Doctor, ac Profeſſor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. X. Paſſeri Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

LECTO-

LECTORIBUS HUMANISSIMIS

ANATOMES STUDIOSIS

FRANCISCUS PETRAGLIA

PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE PROFESSOR.

QUUM multa ſunt, eaque perilluſtria doctrinarum genera, quæ jucunditate, atque utilitate ſua hominum ſtudia ad ſe alliciunt, ſuoque veluti jure ſibi vindicant: tum vix ulla ex iis omnibus alia doctrina meo quidem judicio magis hominum animos percellit, ac quodammodo ad ſe trahit; quam quæ totum corporis humani machinamentum, mirificamque ſtructuram ordine explanare inſtituit, quæque *Anatome* trito apud eruditos homines vocabulo nuncupatur. Ad eam ſane rem extant jampridem celebratiſſimæ Petri Berrettini Cortonenſis Pictoris eximii Tabulæ anatomicæ, quæ jam inde, quum primum in lucem prodiere, ſummo omnium, quicumque erga anatomicam facultatem bene animati erant, favore fuerunt exceptæ. Nec injuria: propterea quod dici vix potèſt, quanta ſolertia, quantaque anatomicæ artis peritia ſingulæ corporis huma-

ni partes, origines, propagationeſque nervorum, muſculorum multa, ac varia inter ſe genera naturali in poſitu deſcripta, atque accuratius expreſſa iis in Tabulis deprehendantur: quam venuſte præterea, quamque affabre Icones omnes ad veri normam, ac ſimilitudinem effictæ ſint. Verum hoc in ipſa operis præſtantia perincommode cadit, quod & harum Tabularum rara hodie exemplaria, ac ferme nulla reperiantur, &, ſi qua pauca reperiuntur, ea mendis, erratiſque quamplurimis, quæ in ſingularum Tabularum expoſitiones, neſcio quo fato, irrepſerunt, non parum deturpentur. Atque illud ſane primum Pictoribus, alterum vero ipſis Anatomes ſtudioſis Viris cupiditatem injecit, ut memoratæ Berrettini Tabulæ emendatius iterum typis mandarentur, & proferrentur in lucem. Ut igitur hujuſmodi qua Anatomicorum, qua Pictorum votis aliqua ratione fieret ſatis, eas nos Tabulas, quæ jam alias quidem vulgatæ fuerant, prælo reddendas curavimus.

Hujuſce autem mei conſilii cauſſam, rationemque legenti exploratam, perſpectamque faciam, ſi pauca prius de anatomicis hiſce Tabulis dixero ad lucem in univerſum ipſum Opus diffundendam: ut ne cui aliquando temere fortaſſe, atque inconſulto ad hoc onus ſuſcipiendum videar adceſſiſſe. Atque illud in primis hic adnotandum eſt, quiſquis fuerit prædictarum Tabularum Auctor anatomicus (neque enim certe is fuit idem, qui eas calamo, aut ſcalpro expreſſit), non potuiſſe ipſum ea omnia, quæ animo comprehenderat, evulgare. Et id quidem vel paucis admodum, vel etiam nemini ſcimus Anatomicorum adhuc contigiſſe, ut idem, quod ſibi propoſuerat, plene, ac perfecte aſſequeretur, & anatomicum Opus numeris, ut dicitur, ſuis abſolutum traderet poſteritati. Quum enim ad id conficiendum & Icones ipſas humani corporis partes ſingulas exprimentes colligere in primis, ac præparare, deinde ubi adumbratæ, ac perfectæ ab idoneo Pictore fuerint, exponere ſingulas, ac declarare opus ſit; ad hæc vero omnia fruſtra nitaris, niſi ante improbos, diuturnoſque labores, moleſtias, ac vigilias in innumeris prope dicam mortuorum corporibus ſecandis, perſcrutandiſque pertuleris: ſi quis ſane in hac tam aſpera, tamque longa inveſtigatione verſetur, plerumque accidit, ut eum prius vita deficiat, quam ipſe ad præſtitutam laborum metam perveniat. Quod quidem infortunii & Bartholomæo Euſtachio ceterorum Auctorum, qui Tabulas anatomicas tradiderunt, facile primo, & Gabrieli Falloppio maxime contigit, quorum unus quum ſuam omnem ætatem in incidendis cadaveribus, conficiendiſque Tabulis conſumpſiſſet, tandem ſenex factus,

ne,

ne, quod paraverat, cujuſque editionem promiſerat, anatomicum Opus vulgaret, morte prohibitus eſt: alterum vero, dum anatomicas Tabulas, quas ſuis in operibus pollicitus fuerat, elaborabat, immatura mors decerpſit. Jam vero quum neque harum, quæ nunc denuo e typis prodeunt, Tabularum Auctor unus eximius, cui mors parceret, extiterit; hinc factum eſt, ut eædem Tabulæ poſtea quam a Berrettino expreſſæ fuerunt, multos annos neglectæ in tenebris omnino delituerint: &, ſi demum inde fortuito emerſerunt, lucemque adeo reviſere, nudæ tamen, puræque Icones ſine ulla prorſus expoſitione, ac plane deſiderato ipſius Auctoris nomine innotuerint.

Jam vero quis harum Tabularum fuerit Auctor, diſputant inter ſe eruditi homines. Nonnulli enim anatomicum hocce Opus Veslingio, pertenui tamen moti argumento, adjudicant. Albertus Haller in eam ſententiam deſcendit, ut inſignes has Tabulas Guillelmo Rivæ Chirurgo præclariſſimo tribuendas eſſe cenſeret, ea potiſſimum ratione ductus, quod in Gottingenſi Bibliotheca harum Berrettini Tabularum anatomicarum Volumen extat, in cujus fronte Guillelmi Rivæ, veluti Auctoris operis, effigies inſculpta eſt. Verum & aliud non leve quidem argumentum confirmare Halleri ſententiam videtur. Nam hic Romæ in Amphitheatro anatomico Noſocomii B. M. Conſolationis, quam parvam microcoſmi anatomicam figuram harum Berrettini Tabularum volumen prima veluti fronte præſefert, eadem ipſa, tametſi coloribus ad vivum expreſſa, & humana ſtatura grandior reperitur: ex quo ſane conjicere licet, ex hac Rivæ archetypa grandiore figura parvam illam, quam hæ Berrettini Tabulæ præferunt, relatam, expreſſamque fuiſſe. Mira profecto induſtria, atque anatomicæ præterea artis intelligentia, quæ in ea præſtantiſſima Tabula emicant, inſignem, eximiumque Anatomicum arguunt, a cujus certe laude Riva minime abhorret. Illud tamen unum hac in re certum eſt, atque omnibus compertum, in præfato Noſocomio plurimum operis, ſtudiique in incidendis cadaveribus Guillelmum ſumma cum ingenii laude impendiſſe. Atque hujus quidem inclyti ejus laboris, atque ſolertiæ extant adhuc in Amphiteatro memorati Noſocomii nonnulla, etſi injuria temporis attrita veſtigia, in quæ oculos, mentemque non ſine maxima admiratione ſe intendiſſe fatetur Vir humanitate, & eruditione præſtantiſſimus, longeque tot editis immortalis ingenii ſui monumentis Orbi litterato notiſſimus Andreas Maſſimini ejuſdem Noſocomii ordinarius Chirurgiæ Profeſſor. Huc accedit Joannis quoque Fanto-

ni auctoritas, qui haſce Berrettini Tabulas ſibi ex Batavia, velut proprium Rivæ opus, delatas fuiſſe teſtatur in ſuis diſſertationibus anatomicis. At vero omiſſis iis, quæ fortaſſe leviora videri poſſint, tametſi hac in re non ſunt omnino contemnenda, Guillelmum ſcilicet in ſuo Teſtamento nullam omnino de iis Tabulis mentionem feciſſe, eaſdemque Tabulas in Indice ſupellectilis, ceterarumque rerum, quas ex hæreditatis jure idem Riva obtinuerat, plane deſideratas fuiſſe: temporis ratio maxime impedimento eſt, quominus præfatas Tabulas eidem attribuamus. Petrus enim Berrettini has eaſdem Tabulas elaborare cœpit anno 1618., ut ex prima Tabula patet: Guillelmus vero Romæ anno 1677. quinquagenarius obiit. Quod ſi quo tempore ſcalpi Tabulæ cœperunt, nondum Riva inter homines erat: nonne hunc earum Auctorem non modo non fuiſſe, ſed neque eſſe potuiſſe ſatis luculenter oſtenſum eſt? Porro autem præfatum Hallerum, quum ſuam ipſe de harumce Tabularum Auctore ſententiam protuliſſet, deinceps vero Viri excellentis Hunteri aliquantulum movit auctoritas *(a)*. Miſſis enim hic ad Hallerum literis, eumdem certiorem facit de quibuſdam Tabulis anatomicis, quas apud ſe eſſe teſtatur, ea inſcriptione = *Vente Tavole anatomiche fatte da Pietro da Cortona nell' Oſpedale di Santo Spirito in Roma ajutato dal celebre Chirurgo Nicola Lachè*. = Addit præterea memoratus Hunterus in eadem epiſtola, Auctorem Tabularum, de quibus ſermo eſt, in id potiſſimum mentis aciem intendiſſe, ut omnes nervos corporis humani, eorumdemque propagationes oſtenderet, tum ſupplementum quoddam ab alieno, nulliuſque judicii homine inſertum iiſdem Tabulis fuiſſe. Verum pace Halleri dixerim, hæc leviora ſunt, quam ut nos permovere ulla ratione poſſint. Atque illud in primis monitos Lectores velim, Tabulas anatomicas, quas modo illuſtrare, ac declarare animum induximus, eſſe ſeptem, & viginti, ſibique omnes apprime conſentaneas, imo plane eumdem Auctoris ſtylum, rationemque perpetuo præſeferentes: quas vero Iconas partim ex Caſſerii, partim ex Veſalii Tabulis depromptas comperimus, eas jam nos utpote aliena manu intruſas expunxiſſe. At noſtras haſce Tabulas alias plane eſſe ab iis, quas memorat Hunterus, ex eo maxime conſtat, quod, etſi in hiſce noſtris corporis humani nervi expreſſæ deformatique conſpectui ſubjiciuntur, potiorem tamen ſibi partem vindicant muſculi, qui non magis apte, & diſtincte, quam eleganter, concinneque deſcribuntur: quum tamen in Hunteri Tabulis nervos præcipuum fuiſſe Auctoris ſcopum idem Anglus aperte fatea-

(a) Bibl. Anat. Tom. 2. addenda Tom. 1. p. 752.

fateatur. Huc accedit, nomen Chirurgi Nicolai Lachè in Tabulario Nosocomii S. Spiritus in Saxia omnino desiderari. Igitur (ut, quod res est, fateamur) existimandum est, memoratum Hunterum, ut anatomicis Tabulis sibi quoquo modo comparatis auctoritatem aliquam conciliaret, easdem Petri Berrettini Cortonensis Pictoris eximii simulato nomine venditasse. Inter Trewii autem libros Tabulas anatomicas olim Guillelmo Rivæ, nunc denique Rivastenio inscriptas deprehendi, nulli rei est nobis, qui harumce Tabularum Auctorem alium prorsus, & a Guillelmo, & a Rivastenio fuisse contendimus.

Verisimilius igitur, & probabilius putant alii, hasce Tabulas Joanni Mariæ Castellano, qui superiore seculo ineunte Romæ floruit, quique primus celeberrimam Casanatensem Bibliothecam inchoavit, esse tribuendas: tum quod *in Phylacterio de Flebotomia, & Arteriotomia*, quod quidem opus ipse summa cum industria concinnavit, ediditque, duæ animadvertuntur Icones designantes singulas venas, & arterias, quibus incisis sanguis elici solet; hasce autem ipsas Figuras exhibet Berrettini Tabula XXIV., hoc solum discrimine, quod Berrettini Figuræ venas una cum valvulis exhibent, quæ quidem valvulæ in illis Castellani Iconibus desiderantur; tum quod præterea magnum Opus anatomicum in folio cum amplis Figuris Castellanum reliquisse ab ipsius æquali Leone Allatio traditum est. Quamobrem facile assentimur Moehseno, qui anatomicum Opus a Castellano, teste Allatio, relictum has easdem esse Berrettini Tabulas contendit.

Riolanus in postrema suarum animadversionum ad Veslingii syntagma anatomicum septem laudat elegantissimas anatomicas Tabulas Romæ excusas, in quibus omnes totius humani corporis nervi miro artificio deformati conspiciuntur. Quænam hæ Tabulæ sint, se ignorare fatetur Winslowius. Fantonus quidem de primis septem Berrettini Tabulis Riosanum fuisse loquutum arbitratur.

Quisquis autem harum Berrettini Tabularum Auctor fuerit, illud pro certo habendum est, post ipsius Auctoris obitum, eum, qui hasce nondum editas Tabulas in manibus habebat, Berrettini Iconibus alias plurimas ex Vesalii, nonnullas vero ex Casserii Tabulis anatomicis depromptas Figuras admiscuisse, ratum, se ita perfectioni operis consulturum. Id manifeste patet, neque cuique latere potest, qui Vesalii, atque Casserii Tabulas noverit. Insuper nunnullarum Iconum inconcinna prorsus, atque inordinata in ipsarum potissimum areis describendis distribu-

tio, & a principe Figura insignis discrepantia: tum vero maxime earumdem forma, atque ratio a Berrettini stylo longissime abhorrentes, ab aliena eas manu in genuinas Berrettini Iconas intrusas fuisse clare, aperteque demonstrant.

Nunc vero ut mei consilii rationem, quod initio pollicitus sum, plene, atque integre patefaciam, primum eas ipsas Iconas, quæ in has Berrettini Tabulas forte non sua injectæ sunt, literatorum hominum sententiæ obsequutus, expungendas, delendasque omnino esse statui: potissimum quum, si quis earumdem Iconum cognoscendarum sit cupidus, eas, quum libuerit, in Vesalii, unde præcipue fuerunt depromptæ, lucubrationibus satis quidem copiose, luculenterque explanatas invenire possit. Id vero eo consilio feci, ut memoratæ Tabulæ eodem ipso nitore, elegantia, atque ingenuitate, qua a præstantissimo earum Auctore comparatæ fuerant, in lucem nunc denique emitterentur.

Quoniam vero harumce Tabularum Icones nulla Auctoris expositione, ut supra dixi, repertæ fuerunt; jam tum ab initio, priusquam vulgarentur, onus impositum est Romano Chirurgo rerum anatomicarum peritissimo, ut singulis Iconibus singulas quoque, congruentesque expositiones accommodaret. Quod quidem onus sibi impositum, quum ille non satis laudabiliter tulisset, atque expetitos commentarios parum diligenter adornasset, anno 1741. eædem Tabulæ una cum expositionibus Iconum typis mandatæ fuerunt. Vix tamen credibile est, quam multa, quantaque vitia in eam Editionem irrepserint, quamque negligenter progressu temporis, atque oscitanter asservatæ eædem Tabulæ fuerint, ipsarumque castigatio neglecta. Quare quum certum jam, deliberatumque esset, ob supra memoratas causas iterum typis eas ipsas tradere; quumque non omnem mihi lapidem non movendum ducerem, ut altera hæc editio quavis sui parte perfecta, & probata omnibus feliciter eveniret: mihi munus demandavit Josephus Venan. F. Monaldini, ut, quæ hinc inde in his Tabulis sparsa menda, atque errata caliginem tanto operi perinique sane offundebant, extirparem singula, nitidumque, ac perpolitum opus omnibus, qui hisce studiis delectantur, restituerem.

Hæc omnis mei consilii ratio, hoc meum omne propositum fuit. Habetis jam, anatomicarum rerum Amatores, quod jampridem expetebatis, anatomicum opus numeris omnibus, nisi valde opinione fallimur, absolutum. Habetis Petri Berrettini Tabulas anatomicas omni labe expurgatas, tum vero apte, distincte, ornateque expositas: ut ipse mihi jure

re

re lætandum eſſe videam, qui eaſdem Tabulas ex indecoro pulvere, in quo miſere jacebant, eruerim, atque ea, qua potui, induſtria perfecerim, ut, quamquam eæ jam alias quidem vulgatæ fuerint, nunc primum pro dignitate ſua in lucem prodiiſſe videri poſſint. Quod ſi id egi, atque in hoc elaboravi, ut ſcientiis, optimiſque artibus, quo par erat, decore hoc tam illuſtre monumentum redderetur, quod quidem & Anatomes Cultoribus ſuppeditat, unde exercere ſe in optima facultate queant, & Pictoribus, unde totius humani corporis, ejuſdemque partium multas, ac varias formas poſſint ad imitandum intueri: profecto hunc qualemcumque laborem meum cuivis facile ſe probaturum confido. Certe ſi quid peccavi, in eam partem peccavi, quæ cautior eſt.

Hæc ferme erant, quibus vos, Lectores Benevoli, volebamus. Vos his fruimini, & valete.

Dabam Romæ XIV. Cal. Apriles MDCCLXXXVIII.

CORRIGENDA.

Tab. II. pag. 3. v. 31. zigomaticum	zygomaticum.
Tab. II. pag. 5. v. 5. cubitu	cubito.
Ibid. v. 22. tenuvior	tenuior.
Tab. III. Fig. III. pag. 8. v. 30. ſternohyoidæum	ſterno-hyoideum.
Ibid. pag. 9. v. 7. platiſmamyodes	platyſma-myoides
Tab. IV. pag. 12. v. 2. ſoleo	ſolæo.
Tab. V. Fig. I. pag. 10. v. 14. maſtoidæi	maſtoidei.
Ibid. pag. 15. oſtenderentur	oſtendantur.
Tab. XI. Fig. II. pag. 31. v. 2. hyodæa	hyoidæa.
Tab. XII. Fig. I. pag. 34. v. 14. iliorum	ilium.
Ibid. Fig. II. pag. 35. v. 23. in hoc altero	in hac altera.
Tab. XIII. Fig. I. pag. 37. v. 11. hoc	hac.
Ibid. pag. 38. v. 19. hoc ipſo	hac ipſa.
Ibid. Fig. II. pag. 39. v. 26. hoc	hac.
Ibid. pag. 40. v. 8. litera	literas.
Tab. XIV. Fig. I. pag. 41. v. 3. expoſito	expoſita.
Tab. XV. Fig. I. pag. 43. v. 14. hoc	hac.
Tab. XX. Fig. I. pag. 56. v. 4. diliguntia	diligentia.
Tab. XXV. Fig. I. pag. 89. v. 12. pe	pĕr.

TABULA I.

Ommunibus ſublatis tegumentis, peritiſſimus Auctor in hac prima Tabula conſpiciendos exhibet arteriarum, venarum, nervorumque proceſſus, qui per primores, ut ita dicam, & extimos muſculos diffunduntur. Ad Iconis vero nitorem eam tegumentorum partem reliquam facit in capite, quæ occipitium D tegit; detracta, quæ frontem ✠, mentum A, genas, tempora **, ſinciput C, coronale B, inferioremque maxillam obſepit ✡, ut pars nervi auditus æ per genam propagata in oculos facile incurrat.

Deinde vero extremi cervicis nervorum ductus per priorem juguli partem, & clavicularum ſitum a, perque humeri verticem diſperſi ſeſe objiciunt in thorace literis x q e, quorum ille, qui poſt aurem aſcendit in alios, atque alios ramos diviſus, cumque præfata duri nervi portione conjungitur, & reverſivus, ſive recurrens trito apud Anatomicos vocabulo nuncupatur. Exhibent quoque muſculos pectoris majores literæ FF, mam-

mas GG, ſternum H, ejuſque finem, cui mucronata, quam Græci appellant Xiphoiden, aptatur cartilago. Præterea addit Auctor muſculum oblique deſcendentem K a priore ejus parte ſeparatum, ut qua lumborum, qua coſtarum nervis in ejus ſubſtantiam pateat introitus. Obliqui deſcendentis partem extrinſecus V indicat. In conſpectum inde ſeſe produnt quatuor cartilagines SSSS, ab omnibus membranis ſejunctæ, quæ verarum coſtarum noviſſimæ ſunt, tum nothæ, ſeu adulterinæ TTT, ac dein ſupra muſculum aſcendentem ob oculos ponit memoratus Auctor eas ipſas nervorum extremitates nnnn, quas in læva parte obliquus deſcendens muſculus affabre ſubſtratus perforare conſpicitur. Hæc in abdomine adjacent ſiniſter muſculus rectus L cum contextis, confuſiſque nervorum, & vinculorum fibris 12, tum obliquus aſcendens M, lumborum nervus, qui ad pudenda vergit n, ſcrotum u, atque inguinum, præterea glandulæ multo adipe refertæ tt.

In ſupernis artubus primò conſpiciendi ſeſe objiciunt deltoides muſculi EE, biceps dexter N, ſublimis, ſive perforatus O, pronator longus P, radiæus Q, ac cubitæus R ambo interiores, quibus omnibus non magis venoſæ r, quam nervoſæ propagines interponuntur, plena, abſolutaque ſerie. Et ſane nervorum ille, qui in dextero brachio ad cubitum uſque diſcurrit, unicus, tenuiſque truncus p, ex infimis ſcilicet, etſi latenter, cervicis exoritur vertebris; ab ejuſdem autem mediis proficiſcuntur BB, qui in dextero brachio ad Carpum uſque exporriguntur, quique in ſiniſtro flexuram cubiti B attingunt: ac dein a cervicis omnibus ductibus, hinc inde inſitis, promanant tenues illi progreſſus p q, qui in ſiniſtro brachio ad digitos diſtribuuntur. Axillaris autem vena in cubito extenſa P, cum humeri vena conjuncta o s apparet.

Infernis denique in artubus perſpicere licet nervorum illos proceſſus o o o in ſiniſtro femore ſupra membranoſum muſcu-

muſculum ſe propagantes, qui in interiore etiam ejuſdem muſculi parte apparent. Quo facilius eos oſtenderet Auctor, eumdem membranoſum muſculum in dextero femore e proprio poſitu ſeparavit, ſupinumque cum ipſis nervorum ductibus, qui ad lumbos attinent, ſummo artificio collocavit ⊖. Lumborum quoque nervorum ſoboles eſt ⊖, quæ ab inguine ſupra Sartorium muſculum Y excurrit, tum I, quæ recto curſu ad genu uſque deſcendit. Porro femoris verticem indicat X, z rectum vero muſculum, b vaſtum interiorem, a exteriorem, bicipitiſque tendinem m: tandem tendinis ferme in ſpeciem muſculorum tibiam extendentium propagationem indicant c c, quæ per ipſius tibiæ rotulam ad ſupremum ejuſdem tibiæ tuberculum propendit.

Sequuntur denique in tibia f, extenſor magnus digitorum d, peronæus anticus e, peronæus poſticus g, ac gemelli portio h, ex cujus extremo latere ſatis conſpicuus crurum nervorum, ex oſſe ſacro exorientium, truncus K egreditur, qui ad digitorum quoque latera propagatur. Apparent etiam malleolus exterior l, interior i; calcaneum n, atque extimi ſaphenæ rami r r a malleolo interiore per adverſam pedis partem diffuſi.

TABULA II.

EXtimis nonnullis muſculis, quos in ſuperiore Tabula indicaverat, a naturali ſitu ſejunctis, interiores alios cum profundioribus nervorum, vaſorumque ductibus exhibet in hujus ſecundæ Tabulæ Figura. Primo quidem Auctor conſpiciendum objicit ſiniſtrum frontis muſculum A, buccinatorem B, ſuperioris labri elevatorem D, zigomaticum quoque elevatorem C, quibus totidem etiam reſpondent

infe-

inferioris labii depreſſores alii F, & G, tum ſiniſtram glandulam parotidem a, tum durum auditus nervum B, ejuſque ramum ſupra mandibulæ integumenta ſubſtrata I protenſum, tum denique hiatum H, unde ſalivæ meatus producitur.

Apparent deinde maſtoidei muſculi KK, pectoris majores LL, obliqui deſcendentes MMM, a coſtarum cartilaginibus ssssss, ad pubem uſque producti; propagatus etiam obliquus aſcendens NN ita apertius oſtenditur, ut qui in propriam ſubſtantiam ſuprajaciuntur coſtarum, ac lumborum nervorum ductus non innoteſcant modo, verum etiam & alii ssss &c. conſpiciantur, qui ſupra obliquum PP extenduntur. Demum in conſpectum ſeſe offerunt præfatorum muſculorum concurſus, ac tendinum OO, in lineam albam ✡✡✡✡.

Hinc in humero deprehenduntur deltoides RR, biceps dexter extra ſitum, ſive obvolutus, ſiniſter inde in poſitu SS conſpicitur, cum horum dextero, ut magni brachiorum nervi proceſſus a proprio ſitu affabre ſeparatus appareat. Obſervatur quoque extenſor longus b, atque extenſor brevis c, quorum tendines olecranon, ſeu exteriorem ulnæ apophyſim amplectuntur. Primo quoque adſpectu ſeſe offerunt in radio pronatores duo, brevis nimirum d, & longus aa, tum ſupinator etiam longus extra ſitum ſubſtratus V, per cujus longitudinem magni brachiorum nervi ramus excurrit, ut promptiora eadem ſint in omne opus, & ſenſu alacriore polleant. His etiam adhaerent Carpi muſculi, initium flexoris pollicis q, tum radiæus exterior f, interiorque Z. Apparent alii volæ manus, ac digitorum proprii muſculi, extenſor ſcilicet magnus e, & ſublimis, ſive perforatus Y, ac palmaris præterea longus X, cujus tendinum extenſio * extremos brachiorum nervorum proceſſus oſtendit.

Perfecta, & abſoluta nervorum ſeries ſua veluti ſponte ſeſe in oculos ingerit: ac primum mediùs brachiorum nervus

ε r, qui leves quoſdam adjacentibus muſculis ductus impertiens, ad extrema uſque digitorum latera ſiniſtræ manus u pertingit. Porro nervoſus axillæ ramus ♪ in olecranon deſinens conſpicitur, iſque in dextero, tum alius quoque ramus a ſiniſtro cubitu proficiſcens K ad carpum uſque in extrema parte propagatur.

Præterea venarum ductus per articulum ipſum diſperſi apparent. ε ſoboles eſt mediæ venæ, quæ profundior ſub axilla exiſtit. Hæc ſubter magnum dexterum brachiorum nervum tenditur, ut humerariam, vel cephalicam in vertice cubiti b conſtituat. Denique u indicat extimos venæ, quæ ſub axilla eſt, ramos, ut in extima lævæ manus parte r r communes ſuperficiales, quas Medicorum vulgus *ſalvatellas* appellat, oſtendat.

In femoris vertice carnoſior membranoſi muſculi pars 4. deprehenditur, atque inde ſartorii i i., rectus m, vaſtus exterior n, vaſtus interior l ſub oculis ſunt, quorum tendines rotulam in ſitu TT amplectuntur. Inſuper conſpiciuntur in tibiis q q, gemelli o o, ſolæus p, tibiæi antici r r, pollicis extenſores HH, digitorum etiam extenſores t t, ac peronæi poſtici ss. Seſe quoque exhibent conſpiciendos crurum nervi ε ε, qui a lumbis proficiſcuntur ε ε, quo loci paulo ſuperius alii lumborum nervi per laterales femoris partes expanduntur. Sub oculis item verſatur magnus crurum nervus ab oſſe ſacro exortus, qui in ſuppoplitæum n n abit, atque ad interiorem uſque malleolum propagatur. Denique in conſpectum ſeſe prodit ſaphæna x x in ſuppoplitæam deſinens.

TABULÆ III.

FIGURA I.

MUſculis nonnullis detractis, atque imi ventris viſceribus ſublatis, interiores quoque alii nervorum proceſſus ſeſe objiciunt. A caveam oſſis temporum deſignat, in quam temporum muſculus ablatus infigitur. Palpebrarum orbicularem B oſtendit, zigomaticum ſupra labrum, ſubſtratum C, ut ſuppoſiti nervorum proceſſus ſua veluti ſponte ſeſe in oculos ingerant. Quinti nervorum paris ramus, a foramine *e* ſuperioris mandibulæ, quæ palatum conſtituit, egrediens duri auditus nervi pars eſt. Hæc autem a temporum oſſis meatu proficiſcens, non unico tantum ramo r, ſed duobus etiam aliis inferioribus cum guſtus proceſſibus in complexiones, inſitioneſque alias, atque alias examuſſim dividitur. Inferioris vero labri depreſſorem muſculum exhibet D, maſtoideum in ſiniſtro ſitu E, extimum cervicis nervum per deltoidem, & acromion variis ductibus hinc inde propagatum B oſtendit; F dein dexterum pectoris majorem ſuo in poſitu offert. Extenſum autem ſiniſtrum denotat F, ut ſuppoſitæ partes in oculos facile incurrant. Nimirum ganglius brachiorum nervi litera *s* cum ſuis proceſſibus indicatur, quorum unus D, in tres diviſus ductus, per ſuppoſitos muſculos venuſtatis tantum gratia ſerpit; tenuis alter *n* ſupra eumdem pectoris extenſum diſcurrit. Tertius denique tenuvior ad pectoris minorem litera *g* extenditur. Q vero exhibet intercoſtalium, quos vocant, nervorum ſobolem, quæ per ipſum humerum, tenſoſque thoracis muſculos propagatur. H autem indicat pectoris minorem, atque oſſeas ſuppoſitas coſtas IIII, ſimul cum ſuis cartilaginibus ttttt, quarum tres ſolum in dextero latere ſeſe primo adſpe-

adſpectu objiciunt ttt, tametſi utriuſque loci poſtremæ accurate quidem notantur literis *aa*, ut omnibus pateat verarum coſtarum ultimas eſſe.

Panniculus carnoſus ab axilla proficiſcens ad abdominis extremum inclinat, in quem nonnulli coſtarum nervorum rami T, & brachiorum quoque in K vergunt.

Mucronatam denique indicat *u* cartilaginem. Sciſſos abdominis muſculos XXXX exhibent, tum *rr* priorem, ac poſteriorem quoque peritonæi partem, quæ ſeptum tranſverſum, ejuſque propagationem in dextero latere Y ſubtus involvit. Oſtendunt psoas muſculos ZZ, per quorum dorſum primi lumborum rami λ λ diriguntur ad ſeminalia, & lumborum quoque ſunt μμ, qui per ſiniſtros abdominis muſculos ſerpunt ξ. Ultro incurrit in oculos poſtrema dorſi vertebra 12., atque lumborum quinque 1. 2. 3. 4. 5. ſuis cum interpoſitis cartilaginibus uno oculorum intuitu etiam percipiuntur. Demonſtrant vero ſupernis in artubus GG deltoides, LL bicipites, x dexterum nervum per interiorem cubiti partem extenſum, qui axillaris nuncupatur. Porro *i* offert ductus ultimos ſiniſtri brachiorum nervi in extima manus parte propagatos, atque, ſi quod res eſt, dicere volo, ſummo artificio deformatos. S autem litera interioris brachiorum muſculi partem ſignificat, M pronatorem longum, ab humeri apophyſi reſectum, & ſuperiore parte elatum. O quoque exhibet exteriorem radii muſculum, N quadratum, P cubiti exteriorem, atque palmarem, quem vocant, longum. R vero interiorem radii, Q interiorem cubiti oſtendit.

Itaque quà ſublatis integumentis in femore dextero, quà litera *a* reflexis, atque adeo ſartorio muſculo ſiniſtro a proprio ſitu diducto, literæ *o o* exhibent truncum magnorum crurum nervorum, in duos minores alios diviſum ramos *nn*, & *pp*, quorum poſtremi ad pollicem uſque per interiorem artuum partem procedunt, ſuum ortum a lumbis ducentes. Inſuper

in dextero femore ſartorium muſculum *c* deſignat, etſi paululum reflexum, in ſiniſtro vero ſuam portionem indicat *c*, tametſi in interiore tibiæ parte ſubſtratam, atque a crurum nervo perforatam. Oculis item occurrunt vaſti exteriores *bb*, interiores *ee*, recti *dd*, quorum tendines rotulam *nn* exornant. Denique in tibiis *mm* gemelli *gg* apparent, tum extant ſolæi *hh*, tibiæ poſteriores *ii*, prioreſque tibiæ *ll*, ac extenſores præterea magni digitorum cum tendinibus mirifice expreſſis.

FIGURA II.

HOC loco ſua veluti ſponte ſeſe in oculos ingerit extima manus pars communibus tegumentis denudata, ut nervorum, venarum, extenſorumque tendinum propagatio appareat. A indicat extimum ramum venæ communis, quam ſalvatellam appellant, ad pollicem, atque indicem extenſum. B vero, & C ſunt extremi cervicis nervorum ductus per exteriora digitorum latera diffuſi. D autem demonſtrat brevem pollicis tendinem, qui extenſor dicitur, ad ultimum uſque internodium productum. Hic autem originem ſumit a medio cubito. Literæ denique FFFF offerunt quatuor tendines communium muſculorum, qui digitos extendunt, manuſque multarum artium miniſtras reddunt.

FIGURA III.

AUctoris viam, ac rationem perſequentes conſultum habuimus nunc exponere eos ductus, quos durus nervus ad inferius jugulum dirigit. Primum enim indicat ejuſdem extenſionem a litera B uſque ad F, ubi ultro quoque occurrit muſculus maſtoideus. Porro ſeſe objicit ejus ramus E, qui ſternohyoidæum muſculum, & glandulam thyroidæam F pervadit.

vadit. Præterea litera V oſtendit inſitionem cum muſculis C, atque X, qui trito apud Medicos vocabulo cervicales, & axillares nuncupantur. Iis adhæret jugularis externa conſpirante cervicis nervorum ramo *r*, addito quoque jugulari ramo, qui cervicis nervorum trunco ſubeſt. Inſuper apparet muſculus platiſmamyodes ſubſtratus, ut nervorum rami A pateant: tum B parotidem glandulam indicat, G maſſeterem, L orbicularem palpebrarum, K ſuperioris labii elevatorem, I præterea ejuſdem depreſſorem, atque H denique inferioris labii etiam depreſſorem in mento, qui vulgo ſpongioſi muſculi quoque appellantur. Poſtremo Q demonſtrat maxillarem glandulam, D muſculum hyo-thyroideum, O cartilaginem thyroidem, ac tandem R locum, ubi cricoidea cartilago collocatur.

TABULA IV.

APertis coſtis, atque detractis communibus integumentis in imo ventre, tum nonnullis muſculis in diverſas partes, atque loca ductis, ſua veluti ſponte ſeſe in oculos ingerunt quum peculiaris nervorum diſtributio, tum multo magis etiam modus, atque ratio, qua iidem nervi in humani corporis partes ſeſe introducunt. Exhibet A frontalis muſculi poſitum, K temporalem muſculum ſuo in ſitu, idque ita, ut ſubſtrati nervi auditus duri extremi proceſſus ultro incurrant. B vero ſuperioris labii elevatorem paulo elatum, D depreſſorem, C buccinatorem, E maſſeterem, ggg corpora glanduloſa, ipſis nervorum propaginibus colligata, oſtendunt.

In cervice vero reflexus muſculus, longus colli nuncupatus, litera *f* indicatur: in ſterno autem hyoideus G, & thyroideus H apparet. Præterea gangliformis nervi *b*, phre-

nici *q*, imo plane vagi *i*, qua parte ſeſe extendunt intra thoracem *l*, proceſſus ſeſe offerunt, addito ramo primarum cervicalium *n*. P ſignificat partem muſculi biventris in ſitu, quæ ad aurem dexteram uſque producitur. Literæ *o o* demonſtrant cervicis nervos, tum in collo, tum in humero extenſos, ſimulque conjunctos. Porro I cucullarem muſculum exhibet cum clavicularum principio 11; atque adeo pulmones aliquantulum deductos *a a*, pericardium *b*, prope arterias, ac venas diſciſſum, cumque ſepto tranſverſo Z Z conjunctum. Inſuper objicit c cavam ſuperiorem, quæ in axillarem *c*, & jugularem *d* fertur. Denique 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. indicant coſtas, 8. oſſa ſterni, X X triangularem muſculum, addita interim integumentorum portione Y.

Oſtenſis inde muſculis quum deltoide L, tum multo magis coracoideo M, quemadmodum in proprio poſitu locati ſunt, ob oculos ponitur interius bicipitis caput N, quod Auctor plicavit, ut primorum cervicis nervorum ramum *t*, qui ad interiorem brachii præcipue ramum O, ipſumque bicipitem elatum extenditur, detegeret: idque ita, ut & proceſſum magni brachiorum nervi *u*, ſuprà extenſorem longum P, atque brevem Q, & ramuſculos, qui ab ultimis cervicis nervis proficiſcuntur *a*, apertius patefaceret. Sub oculis quoque ſunt extremæ ejuſdem nervi inſitiones, quas in ſeparata memorati bicipitis parte S, in pronatore longo T, palmari longo V, ac ſublimi X, iiſque elatis, & abſciſſis quiſque facile deprehendere poteſt. Offendimus quoque in cubiti flexura ejuſdem diviſionem; tum brachiorum nervi dexterum truncum, & proceſſum *r*, qui ſubter interiorem radiæum B a ſenſibus remotus apparet. Inſuper animadvertitur ſiniſter, qui ſupra interiorem muſculum Y progreditur, atque intra flexores, ut ajunt, tendines in extremam fibrarum congeriem diſtribuitur. Porro exhibet *t* alium

nervo-

nervorum ramum, qui a posteriore humeri parte emergit, & a supinatoribus tum longo *Z*, tum brevi *R*, extrinsecusque radiæo *A* dividitur. Ac denique in lævo brachio extremæ cervicis nervorum congeries ε ε subter integumenta abscondita se offert; in dextero vero progreditur ad latera usque digitorum, conjuncta cum longissimo nervulo τ, qui ad annularem, & auricularem digitum *E*, tum ad musculum *F*, qui pollici motum impertitur, sese extendit.

Deinde conspiciendi sese exhibent inferioribus in artubus lumborum nervorum trunci æ æ, qui in duos utrinque ramos BB, & rr, quemadmodum supra descripsimus, desinunt, tametsi alia ratione, ac via distribuuntur. Qui enim in dextero femore processus a ramo *B* emergunt, in sartorium musculum H, ad femur T diductum, atque vastum exteriorem R, extenduntur: etsi ab altero ramo *r* progredientes surculi in vastum interiorem *l*, & rectum *T* inflectuntur. Præterea ab ipso majore trunco *æ* deflectunt propagines, atque in membranosum musculum G, paululum sublatum, divergunt, ut substrati lumborum nervorum ductus in oculos ultro incurrant. Sub oculis quoque versantur in iisdem ductibus utrinque, & venæ, & arteriæ crurum, tametsi memoratus truncus *r* in ramos *B*, & *r* dividitur. Series tamen divisionis alia, atque alia est in sinistro femore, & dextero Q; tum quod interioris rami lumborum processus *B*, per sartorium musculum G, perque gracilem M, ac integumenta præterea *N* serpunt: tum quod exterior ramus *r* unam tantum propaginem inter femoris musculos oblique protendit. Porro in utrisque tibiis nervorum ductus ♪ ♪ ab ossis sacri truncis proficiscentes cum suppoplitææ (quam dicunt) venæ trunco *m* conjuncti sequuntur: quemadmodum sequuntur peronæus prior *O*, tibiæ quoque prior *R*, ejusque tendo in lævo pede Q. Denique sese ultro offerunt digitorum extensor

ſor communis P, pollicis *V*, tibiæ poſterior *T*, gemellus Q, cum ſoleo *S* conjunctus.

TABULA V.

FIGURA I.

SUbſtratis tam in capite, pectore, quam in imo ventre, atque in humero præterea muſculis omnibus, conſpiciendos exhibet Auctor penitiores alios nervorum ductus quum in artubus, tum multo magis etiam in memoratis caveis *a*. Porro quinti nervorum paris ramus ſupra ſiniſtrum frontis muſculum *A* ſubſtratum apparet: cujus muſculi comes *A* dextero in latere naturaliter poſitus jacet. Litera u indicat guttur, cui utrinque maſtoidæi muſculi BB adhærent, quemadmodum ipſi quoque principium clavicularum *s s*, ac muſculus triangularis r ſupra ſternum læva in parte ſubſtratum innititur. Sub oculis eſt in thorace dexter pulmonis lobus *p*, in ſiniſtram partem divergens, ut tenſi nervorum proceſſus oſtenderentur. Ultro etiam in oculos incurrit nervus vagus B, qui in cardiacum *d* abit. Exhibet r gangliformem, quem dicunt, intercoſtalem, per interiorem coſtarum partem propagatum, ac tandem membranam pleuram dictam ſupra mediaſtinum ſubſtratum, atque cum ſepto tranſverſo m conjunctam parva litera q oſtendit. Huic immediate adjacent hepar n, & circumvoluta inteſtina o o o o o.

Dexteriore deinde in humero, cujus origo ex t proficiſcitur, poſteriorem brachiorum nervorum truncum Θ exhibet, qui ſubter longum extenſorem E diſcurrit, atque per adjacentes muſculos propagatur. Præterea ſub oculis verſatur illius ramus p, qui ſupra deltoidem C extenditur. Seſe deinde in oculos ingerit brevis extenſor, qui a nervis D perfo-

perforatur, atque per N excurrit, nimirum per brachiorum exteriorem nervum in ſitu F locatum, & medio bicipite G diviſum. In conſpectum inde ſe prodit ejuſdem nervoſi trunci proceſſus K, qui per ſublimem muſculum H, atque profundum I hinc inde ſpargitur. Spargitur quoque per duos alios ductus, quorum alter p in ſupinatorem, quem appellant, brevem X, & radii exteriorem M, pollicis extenſorem N, inque digitorum extenſoris tria principia L, & O diſpertitur; alter vero r r per ipſum profundum I progrediens, in extimam manus partem intra pollicis tendines ſeſe infert.

Porro ſiniſteriore in femore tenues tantum lumborum nervorum in varios ramos proceſſus n oſtendit, quorum brevior ſ extrinſecus in genu uſque ad plantam pedis t vergens, oblique fertur ſupra gracilem l, ſeminervoſum i, ſemimembranoſum h, bicipitemque g. Longior vero t, emiſſis ex genu, ac muſculis gemello c, ac ſoleo d nonnullis ductibus, ad pollicem uſque deſinere conſpicitur. Inſuper extremitates υ, & φ magnorum crurum nervorum ab oſſe ſacro proficiſcentium in pollicis deducentem muſculum *f*, digitorumque flexorem brevem, ſive, ut alii malunt appellare, plantarem *e* deſinunt.

Dextero denique in femore ſublatis integumentis P, in quæ tenuis immittitur lumborum nervorum ductus ξ, vix conſpiciendus ſe exhibet nervoſus ramus o, vaſtum exteriorem Q perforans, tametſi omnes ſuo in ſitu muſculi relicti apparent, ſartorius nimirum S, rectus R, & biceps T, ac vena præterea crurum ſiniſtra, quæ per præfatos nervos s diſtenditur. Denique in tibia truncus gemelli dexteri Y Y, detracto capite, ac ſuppoplitæi nervi ab oſſe ſacro progredientis apparet hoc ſigno * indicatus, qui quidem truncus in alios, atque alios ramos dividitur; quorum exterior ω in ge-

mellum Y, plantarem longum T, & ſoleum a ſeſe diffundens, in extremum malleolum, ac in digitos deſinit. Alter vero ejuſdem trunci craſſior proceſſus Ξ Ξ ex tibiæo antico V, pollicisque extenſore Z egrediens, per extenſores tendines in extima pedis parte diſperditur; tandem b exhibet extenſorem brevem cum ſuis tendinibus.

FIGURA II.

A Poſteriore cervicis parte muſculis nonnullis ſublatis, cervicis nervorum proceſſus, & inſitiones in ipſis muſculis Auctor conſpiciendas exhibet: exhibet quoque alterum cervicis truncum litera H, qui in tres alios ramos dividitur, quorum unum L indicat, ſupra ſpinatum A, & tranſverſalem B, extra proprium ſitum poſitos, ut memorati nervi facilius in oculos incurrant: alter vero ad literam E convergit; tertius dein recta deſcendens cum tertio cervicis trunco I conjungitur, qui longis, variiſque ductibus per cucullarem dexterum C, & lævum M propagatur. Apparet præterea duri auditus ramus G, ſpinatum capitis A perforans: quemadmodum ſcapulæ elevator N, qui propter humerum plus æquo elatum, inverſamque cervicem brevior, quam revera eſt, nobis ſeſe offert. Hac in Tabula ſumma Auctoris diligentia ſe prodit, quippe qui ut præfatos nervorum curſus prompte detegeret, propriam muſculorum membranam ex ipſis nervis D, ubi veluti eradicati conſpiciuntur, ſeparare ſtuduit, atque ſubſtravit: ut affabre ſubſtravit etiam, ſeparavitque integumentorum tunicam F.

TABU-

TABULA VI.

NON dubium ſane eſt, quin Auctor in hac Tabula ſibi propoſuerit oſtendere eaſdem ferme partes, quas in dextero thoracis latere nuper oculis omnium ſubjecit, addito tamen ſanguineo trunco. Et quidem expoſito nervi duri proceſſu *o*, ſupra ſubſtratum temporum muſculum A, exhibet muſculum orbicularem palpebrarum *. Inde apparet frontis muſculi poſitus D cum glandularum congerie tragi C, & cutis portione B, cumque platiſmammiode ſiniſtro E. Apparet etiam os illud pectoris, quod Græci στερνον appellant ſubſtratum, quod literis gg indicatur, eique adhærent ductus norvorum, quos intercoſtales vocant. Sub oculis autem eſt ſiniſter pulmonis lobus d, dextero i ſuperinductus, ex quo fit, ut & ſanguinei, & nervoſi ductus exhibeantur. In conſpectum vero ſeſe prodit œſophagus, cibi, atque potus via, ex litera a, qui longitudine tantum diſſectus exhibetur, ut ejuſdem membranæ, ac nervorum congeries facile in oculos incurrant. Aortam inde deſcendentem, quam vocant, *b* indicat. Hæc quidem in axillarem ſiniſtram reciſam c, dexteram c, ac lævam carotidem | ſe infert, ſupra quam cardiaci nervi gangliformis, quem appellant, truncus extenditur. Perſpicitur quoque aſpera arteria, quam litera h oſtendit, intra annulos cartilagineos, atque coſtas affabre fractas 1 2 3 4 5 6 7 8 9. Denique in imo ventre ventriculi ſuperioris orificium ex litera m, & inteſtina circumvoluta literis nnnnn apparent.

Porro ſeſe offert caput humeri, quod græca litera λ ſignificatur, ejuſque extenſio K membranis deſtituta, quo loci cervicis nervorum truncus q conſpicitur. Primus tamen cervicis ramus infigitur in p, qui ſupra deltoidem elatum F propagatur. Oculis objiciuntur deinde præfati rami q ductus, quorum

quorum quidam ad brevem extenſorem G ſeſe dirigunt, nonnulli vero r in exteriorem brachii muſculum H deſinunt. Porro idem ramus in alios proceſſus diviſus in radii muſculos, hoc eſt ſupinatorem longum I, exteriorem radii K, pollicis extenſorem L, ac cubiti exteriorem M ſe infert, quin ad cubiti interiorem P, indicis extenſorem N, ac brevem quoque portionem pollicis O, exterioreſque interoſſeas partes ΘΘΘΘ iter habeat.

Sublato deinde in dextero femore membranoſo muſculo Q, una cum lumborum nervorum ſurculo s, muſculi omnes ſeſe conſpiciendos exhibent, nimirum rectus R, vaſtus exterior S, biceps T, ſemimembranoſus V, qui proprio in ſitu collocantur. Perſpicere vero licet tria nervoſa filamenta, quæ ex inguine Y emergunt. Præterea oculis ſeſe objicit poplitis dexter truncus a, in duos ramos B, & r diviſus, qui ab oſſis ſacri nervis proficiſcitur. Horum quidem primus ſuper ſoleum ≡ extenſus, tranſverſe gemello ππ reſecto, apparet: alter vero r cum longo digitorum extenſore ſupinato, inque genu reciſo ZZ, ac pollicis proprio M conjungitur, & ab itinere deflectens in extimam pedis partem ♂, inque exteriores interoſſeas affabre extra ſitum locatas ΣΣΣΣ deſinit, tametſi interoſſeæ hæ partes naturaliter in P Q Q collocantur.

Inſuper in ſiniſtro femore lumborum ſurculus x, qui per priorem femoris faciem propagatur; atque adeo interior oſſis ſacri nervorum proceſſus z apparet, qui per femur ſubter tricipitem X, ac ſeminervoſum Y diſcurrit. Denique ex litera n tibia oſtenditur, quemadmodum ex Z princeps, quem ajunt, crurum nervorum proceſſus indicatur.

TABU-

TABULA VII.

HAC in Tabula ſub oculorum aſpectum objicit Auctor penitiores alios nervorum ductus. Primo quidem ſublato maſſetere muſculo ſupinato A, inferiorem maxillam F deſquamat, ut ſua veluti ſponte quinti nervorum paris proceſſus D, qui ad dentes diſtribuitur, ſe in oculos ingerat. Apparet inde glandula parotis C, tragus u, ſuperiuſque labrum B, nervoſa quinti paris propagatione ornatum.

Apertis deinde coſtis, viſceribuſque omnibus ſublatis, claviculæ Y Y in conſpectum ſe produnt; dein reciſo tubo aſperæ arteriæ q, coſtæ omnes 1 2 3 4 5 6 7 8 9 a pleura diviſæ ſub oculis verſantur: quo facilius gangliformis nervi truncus in coſtas ipſas x vergens in utroque latere appareat. Sub oculis quoque eſt œſophagus P, ſexti nervorum paris ductibus ⊖ ⊖ ⊖ præditus, quorum lævus 1 ad ſuperius ventriculi orificium *m* flexus, in dextera parte renum plexum K effingit. Præterea *n* indicat ventriculum, o inferius illius orificium, cui glandularum congeries l, & i, a peritonæi fortaſſe membranis h h diviſa, & circumvoluta inteſtina r r r r r adhærent.

Hinc in dextero humero unico oculorum adſpectu ſeſe offert caput ipſius, quod litera *u* indicatur, tum ejuſdem extremitas, quam litera *x* oſtendit. Exhibet *s* primum cervicis ramum, qui ſubter extenſorem longum H progrediens, in interius bicipitis caput G definit. Uno quaſi oculorum obtutu licet intueri alterum ejuſdem cervicis nervorum ductum B, qui ad carpum uſque protenditur, & longo ſupinatori N, pronatori item longo K, radii interiori P, quadratæ carni O, ac profundo, quem nonnulli perforantem muſculum appellant L, adhæret. Item apparet poſtre-

mus nervoſus truncus per inferiorem humeri partem excurrens rr, qui in latus brevis ſupinatoris M diffunditur, etiamſi ex hoc ſigno ε in lævo brachio duplicatus oſtendatur: quo in brachio deprehenditur etiam truncus poſteriorum cervicis nervorum æ, qui per brevem extenſorem Q, perque longum H, atque interiorem brachii R diſtribuitur. Sub oculis autem eſt radii exterior T, qui ab ipſo brachiorum nervorum ramo perforatur ϱ, ex quo tenuis nervorum congeries proficiſcitur, inque ſupinatorem longum S abit, quemadmodum altera pars ipſorum filamentorum pollicis extenſorem V verſus, ac indicantem Riolani X vergit.

Denique inferioribus in artubus lumborum nervorum congeries apparet: quemadmodum in dextero femore ſuperior illorum truncus λ λ in ſartorium g, rectum f, vaſtum exteriorem b b ſeſe inferens. Siniſter vero his ductibus caret. Deſtituta quoque exhibentur utraque femora ſeminervoſis e e. Porro præfatus truncus in interiores vaſtos a a, tricipiteſque c c c deſinit. Alter autem inferior ramus nervoſus μ μ uſque ad memoratos tricipites, gracileſque d d producitur. Femora inde in utroque genu nudata s s ſua veluti ſponte ſe in oculos ingerunt.

TABULA VIII.

ID quidem in hac Tabula Auctor ſibi oſtendendum propoſuit, ut eorumdem ferme nervorum, maximeque thoracis complexiones, inſitioneſque alias, atque alias apertius patefaceret. Verum in facie ipſum labrum A diviſum, & ſupinatum, atque inferior maxilla C a mento D disjuncta apparet, vel quod quinti nervorum paris ductus B in ſuperius labium deſinens in oculos incurreret, vel quod lateralis linguæ pars facilius conſpiceretur. E vero parotidem glandulam

dulam indicat; deinde intueri licet cartilaginem thyroideam F, aſperam arteriam in thoracis ingreſſu G reciſam, quo facilius extenſus œſophagus H plurimis vagi proceſſibus æ æ ornatus pateat. Sub oculis autem verſatur carotis dextera K, & gangliformis nervi trunci *B B*, qui in ſingulas quaſque coſtas diſtribuuntur. Ob oculos quoque ponitur venæ cavæ I in thoracem ingreſſus, atque adeo conſpicitur meſeraicus, quem dicunt, plexus 2, & renalis ♂, qui in renem ipſum X ſese infert. Exhibet vero V ventriculum, Z dexteram renum capſulam cum ſiniſtra △ conjunctam. Præterea ſese offerunt arteria magna Y ſubter ſeptum tranſverſum diſſecta: tum jecur a naturali ſitu divulſum ≡, ac inteſtina naturaliter circumvoluta a a a a a.

Sequitur brachiorum truncus e cervice proficiſcens, qui hoc ſigno 1 in humero indicatur. Hic autem per muſculos, hoc eſt per deltoidem L, brachiorum exteriorem N, perque brevem extenſorem M extenditur. Inſuper dividitur in radio in duos conſpicuos ramos λ, quorum exterior ſupinatori longo T ſuperinductus, aliis, atque aliis ramulis ad radii exteriorem Q, pollicis extenſorem P, digitorum R, exterioremque cubiti O propagatur: quin interiorem cubiti S, ad quem profundiores brachiorum nervoſi ductus perveniunt, attingat.

Deſcendentes nunc ad inferiores artus, tum preſſo pede Auctoris veſtigia ſequentes, e re fore ducimus prius oſtendere nervoſas propagationes lumborum, oſſis inde ſacri, etſi præfatus Auctor, ut eadem nervorum divortia apertius patefierent, a proprio ſitu nonnullos muſculos abſtulerit. In priore vero facie dexterum femur exhibetur, cujus ſuperiorem partem Q indicat, inferiorem autem Y, lumborum ductus ε, qui in pectinæum ≡, rectum c, vaſtum exteriorem d diſtribuuntur. In poſteriore utriuſque femoris facie æque oſ-

ſis

ſis ſacri, ac crurum nervi quum dexteri, tum etiam ſiniſtri ⊙ x ⊙ x, vaſtuſque interior O apparent. Hi quidem in ipſo dextero femore nervorum congeriem bicipiti h, tricipiti i, gracili f, ac ſeminervoſo præterea g impertiuntur. In ſiniſteriore autem femore ſubter tricipitem m, & ſemimembranoſum n iidem nervi extenſi in tibia u ſese inferunt in muſculos ſuppoplitæum ſcilicet p, gemellum q, atque ſoleum r. Inſuper ſub oculis verſatur exterior malleolus x, quemadmodum ſub oculis quoque ſunt muſculi tum abducens s, tum adducens t pollicis. Denique in dexteriore tibia abſciſſa peronæi poſtici portio per literam l, una cum extenſorum digitorum tendinibus, ac nervis k, in extima pedis parte oſtenditur.

TABULA IX.

UTerque venter, medius videlicet, atque infimus ob oculos ponitur in hac Tabula, additis ipſis viſceribus, quæ ſejunctim ſubſtrata apparent: idque ita, ut ſuo in poſitu, etiamſi aliquantulum ſubmota, quædam ſanguinea vaſa ſua veluti ſponte ſe in oculos ingerant, conſpirantibus nervis, & muſculorum portione, quæ in articulis ſuis, & propriis collocatur. Litera enim A indicat muſculum maſtoideum ſiniſtrum a ſuo capite divulſum in pectoris vertice; n vero oſtendit ramum duri nervi ipſi muſculo adhærentem. Porro litera o exhibet alterum auditus ramum durum dictum, qui ex poſteriore auris parte proficiſcens in maſtoidem deſinit. Deinde verſatur ſub oculis parotis glandula 111, quæ in tres veluti partes dividitur: quemadmodum ſub oculis eſt pars auris inferior m, cui parvus duri nervi ramus ſuis cum fibris conjunctus adnectitur. Præterea

terea h oſtendit maſſeterem muſculum ſuo in poſitu collocatum, *i* vero nervos, quos duros dicunt, buccinatorem muſculum ſubeuntes. Inſuper f exhibet zygomaticum muſculum, ſive ſuperioris labri levatorem, g autem inferioris labri depreſſorem. Porro ſese offert aſpera arteria, quum in thoracem ingreditur, in priore parte reciſa, quæ quidem litera B indicatur. Licet quoque intueri œſophagum C item reciſum, atque aſperæ arteriæ ſuppoſitum. Ob oculos denique verſantur duæ coſtæ p p nervis gangliformibus proximæ, tum aliæ nudatæ, ut ipſorum nervorum ingreſſus in coſtarum nervos appareat, tametſi litera q dexterum coſtarum nervum ſiniſtram in partem vergentem, ſuoque pari in dextera adnexum ſupra vertebrarum ſedem, & cartilaginea ligamenta tranſeuntem indicat.

Apparet deinde portæ, quam dicunt, vena N, quæ per omentum, meſenterium &c. propagatur. Conſpiciendos vero ſe exhibent meſentericæ arteriæ rami literis Ddd ab ipſius meſenterii adipe ex parte ſeparati. Literæ autem MM indicant meſenterii portionem, qua ad proxima inteſtina colliganda ſolers naturæ ingenium utitur. In oculos porro incurrunt circumvoluta inteſtina LLLLLL extra naturalem poſitum collocata. Inde tum prior omenti pars, tum inferior HHHH apparet, quam natura ad inteſtina obtegenda adhibet. Literæ quidem GGGG indicant ventriculum elatum, ut ejuſdem latus, quod naturaliter vertebris adhæret, ob oculos ponatur. Præterea S oſtendit os ſtomachi ſuperum; E vero indicat venam emulgentem lævam, F contra emulgentem arteriam a renibus ſeparatam, atque ſuper inteſtina, ſuperque meſenterium ſubſtratam. Inſuper ex litera r oſtenditur ramus, quem gangliformem dicunt, in renum plexum extenſus, quemadmodum ex literis u u u u u u nervi gangliformes dicti oſtenduntur. Exhibet I dexterum renum viſcus ſummo artificio deformatum,

non procul a vertebris ſitum, atque omni involucro deſtitutum. Sese inde prodit veſica, quæ ex litera O indicatur, ejuſdemque fundus ex ſignis, quæ hic adnotantur * * *. P vero litera oſtendit deltoidem muſculum, qui priore parte ab humero reciſus apparet, atque ſurſum ſimul cum ſuo tendine pergit, ut nervi oculis occurrant. Et ſane litera Z indicat hoc loco ramum nervoſum, & cervicis, & brachiorum, qui poſteriore parte per ſuas ipſas fibras expanditur. Contra litera T oſtendit muſculum extenſorem longum, qui ſuo ſitu collocatur, quemadmodum Q extenſorem brevem extra naturalem poſitum locatum. Oculis quoque ſese objiciunt muſculi brachiorum interiores R R, & biceps S ſiniſter aliquantulum interiore parte admotus, ut facilius in conſpectum ſe prodat.

Licet inde intueri alterum cervicis nervum exteriorem dictum, qui oblique per humerum pergens in interiorem ejuſdem partem extenditur, & ex litera Y indicatur: quemadmodum ex x alter cervicis nervus, qui ab axillis ad cubitum uſque excurrens, ſubter pronatorem delatus, in cavam manus partem inſeritur. Oculis quoque ſubjicitur muſculus ſupinator longus, quem litera V indicat; ex adverſo x muſculum pronatorem longum, ſeu rotundum oſtendit. Non mirum eſt, ſi Auctor hoc loco deformaverit crurum nervos, qui ſubter pubem delati, hinc inde plures in ſurculos abeunt, imo plane per femora, atque muſculos ipſis adhærentes dividuntur, & ex literis a a exhibentur. Porro literæ B B in conſpectum produnt proceſſus eorumdem nervorum ſupra ipſum femur extenſos; etiamſi ex hoc ſigno ♪ alii oſtenduntur ejuſdem nervi ductus, qui ſubter caput muſculi tricipitis propagantur. Inſuper Y Y exhibent primum tricipitis caput a pube ſemotum, quo facilius nervi o o, de quibus ſupra loquuti ſumus, ſese in oculos ingerant: quemadmodum Z Z utro-

utroque in femore tricipitum capita oſtendunt. Præterea per hæc ſigna ▵ ▵ apparet tertium, & ultimum caput, majus dictum, tricipitum, qui aliquantulum ab Auctore affabre ſubmoti ſunt, ut nervi cum tendine magno ad latera in interiorem partem deſcendente oculis objiciantur. Deinde ſese offerunt quum ſeminervoſus muſculus, tum etiam ſemimembranoſus naturali in poſitu ſuis tendinibus donatus, qui ad tibiæ verticem c alligantur, atque horum alter litera b, alter vero litera d indicatur. Ad hæc: ſignum hoc ε oſtendit digiti pollicis adducentem muſculum, & nervoſum ductum ſacrorum cruralium, extrema ſui parte per pollicem vagantem: quemadmodum O muſculum vaſtum exteriorem, & R nervum, ſeu nervoſum proceſſum in peronis vertice conſpicuum ſignificat, qui in malleolum exteriorem ſese infert. Sub oculis denique eſt crurum nervulus, qui ab oſſe ſacro proficiſcens, & in plures, exileſque ductus diviſus, per extimam pedis partem indicem inter, & medium abit: ut ex litera *e* tendines magni extenſoris digitorum, in ſingulis pedum digitis, cumque pollicis tendine conjuncti, ad ungues uſque propagati indicantur.

TABULÆ X.

FIGURA I.

SUblatis præcordiis in thorace, atque aliis viſceribus in imo ventre, nervorum poſitus, ac progreſſus non minus illorum, qui gangliformes vulgo appellantur, quam coſtarum, oculis ſese offerunt, idque ita, ut nerveus renum plexus ex ipſis proficiſcens facile appareat. Item brachiorum, ac crurum nervi, qui in articulorum muſculos ſese inferunt, ſua veluti ſponte in oculos incurrunt.

In

In facie enim litera A maſſeterem muſculum ab inferioris mandibulæ proceſſu coronoide ablatum, & verſus tempora elatum indicat: quemadmodum B ſuperius labium oſtendit, quod Auctor revolvit, ut quinti paris proceſſus ipſo in labio facilius pateat. Licet inde intueri muſculum, qui vulgo biventer appellatur, ſuo in ſitu poſitum, atque litera C indicatum; y vero vero ejuſdem biventris extremitatem exhibet. Oculis quoque ſese conſpiciendum præbet per literam B nervus quinti paris, ſive guſtatorius, quem dicunt, primus. Hic autem multis, variiſque ramis diviſus, atque per maxillæ centrum diſcurrens ad dentes, eorumque alveolos uſque progreditur: idque ita ab Auctore factum eſt, ut abraſa exteriore maxillæ parte, facilius præfati nervi ductus oculis conſpicerentur. Præterea ex litera h indicatur parotis glandula integumentis omnibus denudata, ut complures in ea plexus ſecundum ipſius ſitum conſpiciantur. Item ſub oculis eſt muſculus ſiniſter maſtoideus, quem litera D patefacit, quemadmodum i laryngem, ſive aſperæ arteriæ caput. Per literam E ſese in oculos ingerit muſculus hyo-thyroides, & per t alius item muſculus, qui a corvini roſtri ſimilitudine coracoides appellatur: item per G ſcalenus muſculus. Inſuper literæ Q oculis objiciunt dorſualium vertebrarum latera, ex quibus gangliformes nervi proficiſcentes, & in alios, atque alios ramos diviſi per coſtarum vertebras excurrunt. Numeri 5. 6. 7. quum veras coſtas, tum ſpurias, fractas, atque a priore ſterni parte, cui cartilaginum ope alligabantur, ſubmotas indicant. Literæ autem uuu deſignant mirificam conjunctionem gangliformium nervorum, qui ad lævam ultimarum coſtarum, quæ ſpuriæ appellantur, curſum dirigentes, atque ~~ſupra lumborum vertebrarum planum ſimul conjuncti; &~~ inde hypogaſtrii caveam verſus vergentes in multos, ac varios abeunt ramos. Per literas vero n n peritonæi tela, ipſiuſque inte-

interior facies oſtenditur: quemadmodum per a a lumborum, ſeu pſoas muſculi ad dexteram cum minore pſoa exhibentur. Item ſub oculis verſatur per literam o portio adipis, quæ ſupra, atque infra ipſos lumbos ſolet deprehendi. Exhibet m proceſſum, qui acromion nuncupatur, uſque ad ſcapulæ cervicem exporrectum; f vero humeri caput ipſi cervici, & acromion proceſſui adhærens. Oculis deinde objicitur ex litera R dorſi muſculus latiſſimus ſuo in ſitu locatus, qui quum maximo uſui ano eſſe ſoleat, ſcalptor appellatur. Apparent muſculi, & per K extenſor longus, & per literam I extenſor brevis: tum per H exterior brachiorum muſculus, perque g olecranon, quo muſculus, quem anconæum dicunt, pertingit. Signum vero hoc ♪ indicat ramum, quem cervicalem nervi brachiorum appellant, cujus altera pars in humero propagata conſpicitur. Ex litera L oſtenditur pars muſculi bicipitis, quemadmodum ex P cubiti interior muſculus, & ex l ipſius cubiti os. Per literas autem O O magnus digitorum extenſor, qui in plures ramos dividitur, oculis occurrit: item per literam M exhibetur muſculus ſupinator longus, & per literam N radii exterior muſculus. Porro ſigna hoc loco poſita ⊖ ⊖ oſtendunt quum magnos lumborum nervos, tum etiam crurum, priore parte in femoris ſiniſtri, atque dexteri ſuperficiem multis, variiſque ramis ſeſe propagantes. Omnium oculis per literam e obverſatur primum tricipitis muſculi caput, per Y alterum majus ipſius, ſeu medium, per Z denique tertium ejuſdem tricipitis, quod ſuo in poſitu conſpiciendum exhibetur. Sub oculis per literam S ſartorius muſculus verſatur, cujus extremitas interius a tibia diſcinditur, & ad ſiniſtram ſubſternitur, ut lumborum, & crurum nervi facile in oculos incurrant. Ex litera vero x oſtenditur muſculus rectus, per T muſculus vaſtus interior, atque per V vaſtus muſculus exterior in-

dicatur. Per græcam literam μ apparet magnus digitorum extenſor muſculus, tum plures, & varii nervorum rami, ac magni crurum præterea nervi proceſſus, qui ab oſſe ſacro proficiſcuntur. Litera K exhibet crurum nervum inter pollicem, & indicem digitos propagatum, inque tendines inde digitorum extenſores diſtributum. Licet denique intueri per literam d chordam magnam cum gemellis muſculis, & ſoleo conjunctam: quemadmodum per græcam literam ξ ramum dexterum crurum nervorum, qui duplicatus conſpicitur, & a ſura proficiſcens in plantam pedis ſese infert.

FIGURA II.

IN hac altera Tabula id ſibi propoſuit Auctor, ut quum capitis, tum multo magis etiam colli muſculos oſtenderet. Itaque per literam A muſculus thyroidæus a thyroide cartilagine diſciſſus ſese offert, quemadmodum per B hyoidæus exterior ab oſſe hyoide reciſus. Exhibetur deinde per literam C portio platisma-myodis, quæ ab inferiore mandibula dividitur, & inferius ſubſternitur. Litera autem D indicat coraco-hyoidæum ſurſum reflexum, & litera E biventrem muſculum, ab inferiore mandibula ſubmotum, atque per anſulam ſtylo-hyoidæi delatum. In conſpectum ſese prodit per literam F muſculus genio-hyoidæus a mento ablatus, & priore parte ad collum ſubſtratus, quemadmodum per G alter genio-hyoidæus, qui evulſus quoque apparet. Pergit Auctor oſtendere per literam H muſculum pterygoidæum exteriorem, ſive alarem, per K vero pterygoidæum interiorem dexterum, & per literam I ſtylo-gloſſum ſuo in ſitu locatum. Præterea litera L muſculum baſio-gloſſum a lingua detractum, atque revolutum indicat, quo facilius nervi, qui in eum diſcurrunt, appareant. Litera autem M oſtendit linguæ apicem ſuo in poſitu, quemadmodum

dum N glandulam parotidem, & litera O partem inferioris mandibulæ ſuis dentibus præditam. Item litera P demonſtrat ſuperius labium ſurſum reflexum, ut quinti paris nervus per linguam propagatus facile in oculos incurrat. Porro per literam Q jugularis venæ exterioris ramus indicatur ut per R muſculus maſtoideus proprio in ſitu locatus. Sub oculis deinde verſatur per literam a ductus quinti paris, ſeu guſtatorii, quem dicunt, nervi primi, qui per linguam diſcurrit. Inſuper per B literam exhibentur nervi, qui linguæ muſculis motum impertiuntur, & trito apud Anatomicos vocabulo noni paris appellantur, quique in ſiniſtrum mandibulæ inferioris maſſeterem dictum muſculum ſese inferunt. Apparet quoque per literam r nervus gangliformis coſtarum, qui per collum excurrens, ductus in præfatos muſculos diſtribuit, Denique per græcam literam ſese conſpiciendum exhibet vagus nervus, qui coſtarum ipſi nervo colli ope adhæret.

TABULÆ XI.

FIGURA I.

UT a ſuſcepto itinere nihil deflecteret præfatus Auctor, conſpiciendos exhibet hac in Tabula, quemadmodum nervi, quos gangliformes appellant, per thoracem, & abdominis cavcam propagentur, additis & brachiorum, & crurum nervis, qui in alios articulos, atque muſculos diſcurrunt.

Et ſane per literam A indicatur ſiniſter temporum muſculus ab ipſis temporibus evulſus, & in labia ſubſtratus, quo facilius nervoſus proceſſus a primo guſtatorio, quem dicunt, ſeu a pari quinto a proficiſcens in oculos incurrat. Litera

vero,

vero B exhibet parotidem glandulam in ſitu locatam, & C muſculum maſtoideum, qui ablato ſterno, a quo initium ſumit, humerum verſus transfertur. Per literam D ſub oculis eſt cucullaris muſculi imago, qui quidem muſculus a vertebrarum nervis per occipitium diſcurrentibus perforatur: quemadmodum per literam u aſpera arteria, & per x œſophagus, quæ duo, dum thoracem ſubeunt, reciſa apparent. Per literas inde y y coſtarum nervorum, quos gangliformes appellant, caudices oſtenduntur, atque per vertebras inter coſtas ad hanc rem fractas propagantur, ut promptius in conſpectum ſese prodant. Ex litera vero O in oculis verſatur dexter gangliformium nervorum ductus complicatus in ſiniſtro ſupra lumborum vertebras. Per literam autem u lumborum quoque nervus exhibetur, qui per peritonæum diſcurrens, in vertebris cum ipſo gangliformi nervo conjungitur: quemadmodum per t adeps paululum in lævam reflexus, qui ſupra eoſdem gangliformes nervos dividitur. Inſuper græca litera ϑ oculis objicit gangliformes nervos in ipſam adipem ſese inferentes. Præterea per literam V oſtenditur peritonæum diſſectum, & in dextera parte ſubſtratum, ut crurum ille nervus x in tres ſurculos diviſus, ad pubem inde pergens, oculis ſubjiciatur. Porro per literam E deltoides muſculus apparet, in quem brachiorum nervus valde conſpicuus, ac plures in ramos diviſus deſinit: quemadmodum per hoc ſignum ε interior cervicis brachiorum nervus, qui circa ultimas colli vertebras extenſus, in cubiti flexu a longo pronatore tegitur, atque ex hoc ſigno ε indicatus per interiorem cubiti partem pergens in manus carpum ſese infert. Per græcam literam φ exhibetur exterior alter brachiorum nervus non procul a longo ſupinatore reciſus: quemadmodum ex litera P biceps muſculus, qui proprio in ſitu locatur, quique in longitudine magno ipſo brachiorum nervo munitur. G vero

ro litera oculis ſubjicit longum pronatorem, ſive rotundum, & per literam I oſtenditur ſupinator longus, qui unde originem ſumit, divellitur. Licet intueri per literam H ſublimem muſculum perforatum, & aliquantulum demiſſum, quo facilius magnus brachiorum nervus, ejuſque ductus, qui illum perforant, oculis occurrant. Inſuper litera n ſignificat nervum ſiniſtrum brachiorum, qui in humeri centrum, ejuſdemque muſculos quater inferitur. Porro ex litera K indicatur muſculus biceps ſiniſter, & ex litera N extenſor longus, qui ut nervus, quem diximus, facilius eppareat, a ſuo ſitu ſubmoti conſpiciuntur. Inde per literam M exhibetur interior brachiorum muſculus ab humero in interiorem cubiti partem proficiſcens, cumque exteriore brachiorum muſculo proprio in ſitu conjungitur. Ex litera vero L oculis ſubjicitur alterum bicipitis caput, quemadmodum per P muſculus ſupinator longus proprio in ſitu locatus. Item ſese offert per per literam Q radii exterior, & per T cubiti exterior muſculus, qui ex ſuperiore cubiti parte omnino ſubmotus appareret. R vero litera indicat digiti pollicis extenſorem, & S indicis quoque extenſorem ſuo in ſitu poſitum. Ex litera autem B brachiorum nervuli per præfatos muſculos abeuntes indicantur: quemadmodum per i brachiorum nervi, qui carpum verſus ſine diviſione ſubter cubiti interiorem muſculum, ad hanc rem aliquantulum deductum, proficiſcuntur. Præterea litera a exhibet vaſtum interiorem in femore, Z rectum muſculum ſuo in ſitu, Y vaſtum exteriorem, & X muſculum membranoſum. Per literas tamen b b ſub oculis eſt gemellus ad poplitem diviſus, ne ſuppoplitæus, quem dicunt, nervus litera v indicatus occuleretur. Hic autem nervus priore tibiæ parte, ejuſque per latera hinc inde progreditur. Sub oculis deinde verſatur per literam o ſuræ nervus a poplite emergens, qui ſubter extenſorem pollicis abiens,

per extimam pedis partem propagatus ad digitos uſque excurrit. Porro litera c demonſtrat muſculum magnum extenſorem, & ſuis cum tendinibus conjunctum, & in proprio ſitu locatum: quemadmodum litera f digiti pollicis extenſorem quoque muſculum. Ex litera vero e tibiæ muſculus anticus ſuo in ſitu oſtenditur, & per literam s os femoris ſiniſtrum; & per g vaſtus interior a genu ſubmotus. Inſuper per literam h in oculos ſese ingerit muſculus triceps, aut alterum ejus caput, & ex litera i indicatur tertium ipſius tricipitis caput inferiore parte remotum, ut facilius appareat ramus ille nervoſus, qui indicatur litera K, & ex oſſibus tum ſacro, tum crurum proficiſcens, in ipſius tricipitis duo capita nervoſas fibras immittit. Dein in conſpectum ſe prodit per literam K ſiniſter lumborum nervus, qui per femoris ſuperficiem diſcurrit, & per l ſemimembranoſus muſculus deorſum depreſſus, quo facilius magnus ille nervus, quem ſacrum, & cruralem appellant, pateat, quique in poplite diviſus interiorem inde ſuræ partem ingreditur. Ex litera autem *n* magnus crurum nervus in ſuppoplitæum, ut ajunt, muſculum abiens indicatur, perque hæc ſigna 8 g s ξ T non tenues nervoſi ductus ibi producti oſtenduntur. Denique per literam r tibia, per m gemellus muſculus, per n flexor longus digitorum pedis, per o pollicis deductor, per p ejuſdem pollicis extenſor tendo, & per Q digitorum etiam extenſor exhibetur.

FIGU-

FIGURA II.

OCulis autem hoc loco occurrunt muſculi, qui linguæ uſui ſunt, tum oſſa, quæ hyodæa nuncupantur. Litera enim A oſtendit ſiniſtrum maſtoideum muſculum, qui unde originem ducit, divulſus apparet, ut muſculi alii, qui ſubtus locati ſunt, facile in lateralibus colli partibus conſpiciantur. Litera vero B demonſtrat biventrem muſculum ab interiore inferioris mandibulæ parte disjunctum, atque inferius inde depreſſum, quo facilius ipſe, dum in ſtylo-hyoidæum muſculum ſese infert, oculis objiciatur. Porro litera C exhibet coraco-hyoidæum muſculum a vertice ſcapulæ ablatum, atque extra naturalem ſitum locatum: quemadmodum litera D ſterno-hyoidæum ſiniſtrum proprio in ſitu poſitum. Literæ autem HH baſio-gloſſum linguæ ſuo in ſitu, & EE genio-gloſſum a lingua ſubmotum, & inferiore parte prominentem oſtendunt. Per literam vero F indicatur muſculus, quem maſſeterem dicunt, ſiniſter ad latus ab inferiore mandibula detractus. Sese offerunt quoque per literas a a nervoſi ductus, qui a primis nervis, quos guſtatorios appellant, conflantur: hoc eſt, par quintum nervorum, qui veluti ad dexteram pervadentes, in linguam ſese inferunt. Inſuper ex literis B B indicatur par nonum nervorum, ut ajunt, motorum, quod per linguæ muſculos affabre propagatur, & per literas O O ſuperius labium ex parte ſciſſum, & per literam K inferior mandibula ſurſum elata, quo fit, ut plures, quæ illi ſubjacent, partes conſpicuæ fiant. Denique ex litera Q pterygoidæus muſculus interior exhibetur: tum per M aſperæ arteriæ ſitus, per literas inde N N ſterno-thyroidæus muſculus, ac per literam præterea I dexter maſtoideus muſculus, & per L ipſius linguæ radix oſtenditur.

TABU-

TABULÆ XII.

FIGURA I.

ILlud ſibi in hac Tabula Auctor propoſuit, ut viam, ac rationem oſtenderet, qua nervi in omnes artus ſensus, motuſque gratia propagantur, quave a ſpinæ medulla, quæ plurimis ramis fruticatur, expromantur.

Ac primo quidem per literas A A A ſuperius labium carne nudatum exhibetur, ſursumque elatum, ut orbicularis ipſius labri muſculus ex parte conſpici poſſit. Ex litera a guſtatorii, quem dicunt, nervi quinti paris ductus, per interiorem ejuſdem labii portionem diffuſi, oſtenduntur: quemadmodum per B exterior muſculus pterygoidæus indicatur. Item literæ B C maſſeterem muſculum extra ſitum locatum, cum nervoſo quinti paris proceſſu, verſus inferioris mandibulæ radices progrediente, exhibent. Litera D vero primos lævos cervicis nervos ad dexteram ipſorum vergentes, & literæ E E longos colli muſculos ſuo in ſitu demonſtrant. Apparent deinde per literas F F coſtarum, & cervicales, quos vocant, muſculi. Græca autem litera ϑ alterum cervicis nervorum proceſſum ad colli latera vergentem indicat: quemadmodum & tertia conſequens propago, quæ hoc ſigno ε indicatur, cum cervicis nervorum ductibus conjungitur. Per literam Q non magis quarta eorumdem cervicis nervorum propago, quam quinta ſimul connexa oculis objicitur. Item per literam n ſub oculis eſt brachiorum primus proceſſus, ſeu cervicis nervorum quintus, qui æque ſexto, ac ſeptimo brachiorum ductibus per lævum brachium propagatis adjungitur. Sese deinde offert litera l indicans ſeptimum cervicis brachiorum nervum, non modo ſexto, ſed etiam primo coſtarum æque, ac brachiorum adnexum, qui plus, minuſque

in

in ſuperioris articuli tractu ſese decuſſantes, in principiis ſuis ganglios, ſive nodos conflant. Licet inde intueri per literas G G deltoidis muſculi ſitum, & per I I alteram muſculorum partem, brachiis ad hanc rem diſſectis, ut appareat, qua ratione brachiorum nervi in fibroſam eorum ſubſtantiam inſerantur. Litera vero K indicat nervum, quem intercoſtalem vocant, qui ad brachium uſque extenditur, & litera L interiorem, & ſiniſtrum brachii muſculum ſuo in ſitu, & ex litera O muſculus, quem dicunt, longus ſupinator ab exteriore humeri tuberculo divulſus exhibetur, quemadmodum per M muſculus pronator longus, ſive teres. Porro ſese oculis objicit litera N exhibens cubiti interiorem muſculum a ſuo principio ſubmotum, quo facilius in eo nervi, qui per brachium diſcurrunt, appareant. Inſuper varia ſigna, ſeu characteres in læva thoracis parte ad vertebrarum ſpondylos ſub oculis verſantur, unde amoto ſterno, & coſtæ non fractæ, & nervi intercoſtales apparent, idque ita, ut doceamur, qua ratione eorum quilibet intra infimam cujuslibet coſtæ partem ſese extendens, inſtar palmæ plurimos ſurculos efficiat. Signum autem hoc ε oſtendit primum lumborum nervum, qui poſt ultimam coſtam ſpuriam a ſpinali medulla progrediens, aliis atque aliis ramis diſſeminatis, per peritonæi membranas ad hypochondrii uſque latera excurrit. Item per literas n n ſub oculis ſunt alteri lumborum nervi, qui ilia verſus exiliter diffunduntur, eorumdemque vero dexter in femoris verticem ſese infert. Ex literis PP muſculi pſoas, quorum lævus bifariam dividitur, in pſoam ſcilicet majorem, qui ex ultima thoracis vertebra exoritur, & minorem, qui a prima lumborum vertebra initium ducit, ſuo in ſitu locati exhibentur. Præterea litera r indicat tertium lumborum nervum plurima ſui ortus primordia accipientem, quorum dexter e ſpinæ medulla exoriens non modo præfatos pſoas

ſurculos effingit, ſed quarto, quintoque lumborum nervo adnexus, per laterales hypogaſtrii caveas ramos, extendit, perque pubem progrediens, in dexterum tricipitem, ut ajunt, muſculum deſinit. Per literam vero x oculis ſese offert primus, quem appellant, ſacer cruralis nervus, qui cum ultimo lumborum conjunctus, hinc inde plurimis ramis diffuſis, hypogaſtrium petens, inferioris articuli centrum pervadit. Signum autem hoc ≡ quartum crurum nervum, tertio lumborum adjectum indicat, quemadmodum ex hoc altero ſigno ε quintus oſtenditur. Altera vero ſigna ΔΔΔΘ ſacros crurales exhibent, qui poſtea in plurimos ramos diſtributi, in eam partem, quæ iſchia, & pubem media dividit, proficiſcentes ad extremum uſque pedem excurrunt. Item per literam Q ſignificatur iliorum oſſis criſta interius ipſius peritonæi membranis donata, & per græcam literam φ lævus lumborum crurum nervus, qui per extimos ſiniſtri femoris muſculos ſe extendit. Ex ſigno autem hoc & ſiniſtra crurum vena oculis objicitur, quæ ſupra tricipitem muſculum in binos ſurculos valde conſpicuos, in vaſtum interiorem ſese inferentes, dividitur. Porro per literam T apparet ſartorius, ut ajunt, muſculus a tibiæ vertice divulſus, atque ad ſiniſtram partem locatus, quique verſus femoris latus inflectitur, ut in ipſo muſculo non ſolum ejuſdem lumborum nervi rami in conſpectum ſe prodant, verum etiam ut eo ſubmoto, alii quoque nervoſi ductus, quos per priorem præfati lævi femoris extimam partem extendi diximus, conſpiciantur. Licet inde intueri per literam V muſculum rectum, qui ita a rotula, & genu divulſus apparet, ut nervorum per ipſum excurrentium aſpectus non impediatur. Ex litera vero x cruris, aut femoris muſculus in ſitu locatus indicatur: quemadmodum per Y interior muſculus vaſtus a femoris lateribus aliquantulum ſubmotus. Item litera m oſtendit peronæum poſticum muſcu-

muſculum lævum ſuo in ſitu, & litera Z vaſti exterioris poſitum: ut per literam S exhibentur muſculorum abdominis ilei criſtæ adhærentium hiatus. Inſuper oculis ſese offert litera R indicans communia integumenta, quæ ex æquo in ipſis muſculis diſcinduntur; & r nervi lumborum dexteri ſuper femur ductus, tum ejuſdem muſculos, de quorum origine ſupra loquuti ſumus. Apparet quoque ex litera b membranoſus muſculus in ſitu ad genu diſtenſus: quemadmodum ex *a* primum tricipitis caput ad pubis dexteram amotum, atque pauliſper inflexum, ut præfatus lumborum, ac crurum nervus facilius pateat. Sub oculis inde eſt alterum tricipitis caput, quod ſuo in ſitu per literam c, atque ſua in in origine ſuperiore lumborum nervo donatum oſtenditur. Contra litera d tertium, ac majus tricipitis caput cum deſcriptis duobus conjunctum, atque adeò ejuſdem extremum ad interiorem genu partem accedens indicat. Signum autem hoc & ſeminervoſum exhibet muſculum, qui ſimul cum ſemimembranoſo f, per ſuos tendines æque diſcurrens in tibiæ verticem deſinit. Denique per literam e genu rotula apparet, extenſorum muſculorum tendinibus, qui ibi reciſi conſpiciúntur, ornata: quemadmodum per l tibiæ prior muſculus, & per i gemellus ſolæus dictus, qui ambo ſuo in ſitu exhibentur.

FIGURA II.

IN hoc altero icone exhibet Auctor caput, atque collum, idque ita, ut movens linguæ nervus, qui trito apud Anatomicos vocabulo par nonum appellatur, ſub oculis verſetur.

Per literam A oculis ſubjicitur coraco-hyoidæus muſculus, cujus caput ab oſſe hyoide ablatum eſt, quo facilius præfatus nervus appareat. Ex B vero oſtenditur pars platis

tyſma-myoidis, ad hanc quoque rem ab inferiore mandibula abſciſſa, atque deorſum vergens: quæ quidem exterioris jugularis ramo perfoſſa conſpicitur. Licet inde intueri per literam C biventrem muſculum, ſive bigaſtrium, quem dicunt, ab interiore etiam inferioris mandibulæ angulo abſciſſum, foraſque inde collocatum. Per literam vero D ſtylo-hyoidæus muſculus indicatur, qui extra ſuum ſitum locatus apparet; & per literam E maſtoidei muſculi pars in pectus ipſum divergens. Item per F ſterno-hyoidæus muſculus ſiniſter ſubmotus exhibetur, ut nervus ille vagus extra ſuum naturalem ſitum locatus dextera in parte, unde ſterno-hyoidæus dexter appellatur, oculis ſese ingerat. Porro litera H indicat cerato-gloſſum, quem ajunt, muſculum, a linguæ radice, ex qua originem ducit, abſciſſum, atque ſubſtratum; & litera I demonſtrat ſtylo-pharyngæum muſculum ipſi linguæ adnexum. Sese deinde objicit litera K oſtendens muſculum genio-gloſſum, quemadmodum per literam L muſculus baſio-gloſſus exhibetur, uterque ſubſtratus, quo facilius noni paris ductus in ipſis diſcurrentes pateant. Præterea ex litera M lingua ipſa ſuo in ſitu oſtenditur, & ex N, aut platyſma-myoidis pars, aut latus colli, ob illum connexum, quem in mandibula inferiore adhibet, diſciſſum apparet, & inde aliquantulum attollitur, ut ramus primi nervi guſtus, ſeu par conſpiciatur per eundem muſculum diffuſum. Per literas autem O O prior pars mandibulæ inferioris, cui mentum hæret, diſciſſa exhibetur, & laterales partes elatæ ad linguæ motoris nervi, & copioſi ejuſdem proceſſus oſtenſionem: quemadmodum per b nervi guſtus primi, in mandibulam inferiorem ſese inferentes, atque os hyoidem verſus, ſuperioremque pharyngis partem excurrentes, ſub oculis verſantur. Inſuper litera r oculis objicit noni paris ramum, qui cum alio conjunctus baſio-gloſſi, quem dicunt, muſculi ſubſtantiam

ſubit,

ſubit, & uterque ex his literis d g p indicatur. In conſpectum deinde ſe prodit per literam P præfati nervi ſurculus, qui, dum in cerato-gloſſium, ſeu cornu linguæ ingreditur, deficit. Hoc vero ſignum 8 oſtendit medium ramum præfati noni paris, jugulum verſus excurrentem: immo plane alter inferior ramus diſcurrens per ſiniſtram in quatuor ſurculos dividitur ſubter literam K, qui ad colli latus abeuntes, in muſculos ipſos diffunduntur, ex quibus ramus unus, poſtquam alii ſurculo recto medio in maſtoidem vergenti adhæſit, fibram nervoſam memorato platyſma-myoidi ſine ullo adminiculo impertitur.

TABULÆ XIII.

FIGURA I.

EA ratione uſus eſt Auctor in hoc Icone ad ſpinæ medullæ ſtamina, nervorumque proceſſus oſtendendos, atque deformandos, qua melior meo quidem judicio haberi non poteſt. Siquidem viſceribus omnibus undique ablatis, vertebræ fere omnes in conſpectum ſese produnt, tum pia, ac dura mater ab ipſius medullæ ſubſtantia ſeparata conſpicitur. Item ſub oculis verſantur tamquam in unum compreſſi, atque coarctati nervi quum in cervice, tum multò magis etiam in lumbis. Per literam vero A ſitus temporalis, quem ajunt, muſculi, ad inferiorem uſque mandibulam extenſi, & per literam E quinti nervorum paris per dentes propagatio exhibetur. Qua de cauſſa ſubſtrato maſſetere muſculo, qui litera B oſtenditur, & inferiore labio a mento diducto, & per literam F indicato, etiam ex

litera D ſuperius labium apparet, ubi ejuſdem quoque primi nervi proceſſus linguæ guſtum præbentes per literam n exhibentur.

Sub oculis deinde ſunt per literas C C maſtoidei muſculi, iique abſciſſi: quemadmodum ex iis ſignis, & literis ω æ B primi tres cervicis rami, qui per colli muſculos diſcurrunt. Porro hæc alia ſigna ν δ ε ϱ indicant reliquos quatuor truncos, qui lum brachiorum nervos efficiunt, alias, atque alias inſitiones gignunt, cum quibus coſtarum etiam primus per literam N conjungitur. Hos ſequuntur coſtarum muſculi duodecim græcis hiſce literis θ ι κ λ π ρ &c. indicati, quique per coſtarum 1 2 3 4 5 6 7 8 &c. ſpatia diſtribuuntur. Sequuntur quoque & lumborum, & oſſis ſacri nervi O, quos hæc ſigna q s ϯ v p exhibent, & ſpina, ex qua ipſi proficiſcuntur, propriis vertebris donata conſpicitur.

Id ſane cogitavit Auctor in deformandis ſuperioribus artubus, ut brachiorum trunci minime ab uno, eodemque ſemper cervicis nervorum pari originem ducere deprehenderentur: etſi in hoc ipſo Icone dexteriore parte a quarto, ſiniſteriore vero a quinto cervicis trunco primorum brachii nervorum ramus proficiſci conſpiciatur. Item id ſibi quoque Auctor propoſuit; dum deltoidem muſculum per literas H I indicatum in varias ſectiones abſcidit, ut oſtenderet præfati rami inſitiones in ipſius deltoidis ſubſtantiam, quæ ex literis G G indicatur: quemadmodum memoratum muſculum a proprio ſitu abſtulit, & ſublimius collocavit (quod quidem per literam K exhibetur), ut magnus brachiorum nervus profundo, ſive perforato muſculo, qui per literam N oſtenditur, ſuperinjectus, & radii interiori muſculo M, & quadratæ carni O, pollicisque adducenti muſculo P ſeſe inferens appareret. Tandem ſub oculis verſatur per literam L ſupinator longus, ab exteriore humeri apophyſi nonnihil diductus, ac poſteriorum, quos vocant, cervicalium ramo munitus. Li-

Licet indè intueri per literam Q non minus ilium os dexterum, quam ejuſdem extremitates, ſeu criſtam literis aa indicatam. Ex literis b b oſtenduntur oſſa pubis, & ex literis c c femorum capita; tum ex literis f f eorumdem convexæ partes, atque ex literis præterea gg eorum extrema. Litera vero d exhibet trochanterem majorem, ſive externum, quemadmodum litera R principium ſeminervoſi, ut ajunt, muſculi. Sequitur deinde litera S indicans muſculum pectinæum, & litera T exhibens primum tricipitis caput a femoris oſſe ſeparatum. Item per literam V biceps muſculus apparet exteriori tibiæ faciei adnexus. Porro apparet etiam per literam x ſemimembranoſus dictus muſculus in oppoſitam deſinens partem ſimul cum majoribus oſſis ſacri truncis, quos hoc ſignum ≡ a muſculorum ſubſtantia ſeparatos indicat; & tandem ex hoc ſigno ▵ indicatur magnus crurum nervus, qui in flexorem digitorum ſeſe abſcondit, cumque ipſo ad plantam uſque pedis diſcurrit. Præterea ex literis h h in conſpectum ſeſe produnt rotulæ, quemadmodum ex l fibula, cujus caput litera i, extremum vero, ſive malleolus externus litera m oſtenditur. Sequitur tandem tibiæus anticus dictus, qui per literam Z exhibetur, perque literas o n tibia, perque q talum, perque p calcaneum oſtenduntur: quemadmodum non magis ex literis r r oſſa tarſi, quam ex literis s s metatarſi, ut ajunt, & ex literis t t digitorum quoque oſſa ſignificantur.

FIGURA 17.

DIligenter operam ſuam hoc in Icone dedit Auctor, ut ratio, qua nonum nervorum par per linguæ muſculos protenditur, innoteſceret. Primo enim fregit inferiorem mandi-

mandibulam ex literis Q Q indicatam, foramenque S designavit, ex quo quinti nervorum paris ramus, qui per dentes porrigi debet, progignitur, atque adeo musculos mastoideum A, sterno-thyroidæum B, sterno-hyoidæum C substravit, diduxitque contra biventrem D, coraco-hyoidæum E, ac mylo-glossum G. Item majores cartilagines ab aspera arteria M, cui adeps O adesse conspicitur, ubi œsophagus celatur, abstulit: ut subjectæ amygdalæ, quæ per litera N T exhibentur, ac stylo-pharingæus musculus H appareret. Deinde ex græca litera ϑ imprimis quinti nervorum paris ductum, in linguæ substantiam L definentem, idem Auctor ostendit. Porro exhibet quoque noni jugi profundiorem truncum, in mylo-glossum o, stylo-glossum G, & interiores alios musculos F abeuntem, quem inferior alter sequitur in duos alios ramos ε, & Q divisus, tametsi superior in linguam L, & musculos genio-hyoidæum K, coraco-hyoidæum E, sinistramque amygdalam T excurrit; inferior vero e collo descendens in mastoideum A, sterno-thyroidæum B, ac sterno-hyoidæum C sese infert. Denique longum colli musculum P, extensor rectus vagus N, ac gangliformis E circumstant, qui corporis caveis injecti in viscera inseruntur, quo facilius suas possint functiones exercere.

TABULÆ XIV.

FIGURA I.

ID in hac Tabula Auctor cogitavit, ut non rationem modo, qua spinæ medullæ filamenta ad nervos contendunt, ostenderet, verum etiam in id animum intendit, ut doceret, eadem nervorum paria non una, eademque ratione,

tione, nec ſtatis, certiſque legibus ad brachiorum præcipue, femorumque ramorum productionem concurrere: quod quidem in nuper quoque expoſito Icone indicavit, dum multas, ac varias nervorum inſitiones in ſuperioribus artubus deformavit. Licet inde intueri per literam A labrum ſuperum, quinti nervorum paris proceſſu æ donatum: quemadmodum per literas B B indicatur inferior maxilla fracta, & diducta, ut interiora foramina B B, cum nervoſis ductibus quinti paris alias jam expreſſis appareant. Item per literam D palatum, perque C m[illegible]ſtoideus muſculus abſciſſus exhibetur. Porro hi numeri 1 2 3 4 5 6 7 ſeptem cervicis nervorum paria; hi alii 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11 intercoſtales, quos vocant, nervos; lumborum inde alii numeri 1, 2, 3, 4, 5; ac denique oſſis ſacri nervos indicant, qui ſequuntur, numeri 1 2 3; quemadmodum ex numero 4 nervus, qui trito apud Anatomicos vocabulo ſine pari nuncupatur, oſtenditur.

Conſpicere præterea licet cervicis nervorum truncos, longe diverſa, quam in ſuperiore Tabula, via, ac ratione per ipſam cervicem ejectos. Primum enim par ab atlantica vertebra proficiſcens ſub oculis verſatur: inde alterum, quod per literam y exhibetur: quemadmodum tertium ex litera græca ϡ, & quartum ex hoc ſigno ε indicatum, oculis objiciuntur, quique in colli muſculos ſeſe inferunt. Horum vero poſtremum per græcam literam ϛ exhibitum in dextera parte cum primo brachiorum nervo ⊙ conjungitur. Illud quoque noſſe oportet, præter reliqua cervicis nervorum paria n, ac coſtarum primum c; alterum quoque ex iiſdem R, dum per brachia viam capeſſit, cum ipſis conjungi; tametſi cum ceteris decem, græcis, quæ ſequuntur, literis λ μ ν ξ ο π ρ σ τ υ indicatis in coſtas ipſas 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11, coſtarumque muſculos ſeſe inferre minime deſinant. Hos ſe-

quuntur lumborum nervi, quorum primi φ κ per peritonæum N N, abdominiſque muſculos c c propagantur: alteri vero ψ ω τ multiformi, varioque nexu ſese invicem decuſſantes, per priores femoris muſculos ſerpunt, atque procedunt. Per hæc autem ſigna Δ Θ Λ exhibiti oſſis ſacri proceſſus ſimul ſe deoſculando, magnorum crurum nervorum truncos efficiunt: quemadmodum numerus 4 indicat ramum, quem dicunt ſine pari, qui in coccygis oſſeam ſubſtantiam deſinit.

Licet exinde intueri ſuperioribus in artubus deltoides muſculos E E, quì per literas F F diſciſſi apparent, ut brachiorum nervorum inſitiones facilius pateant. In eamdem quoque rem diſciſſi exhibentur bicipites G G, ſupinatores longi H H proprio in ſitu locati, Riolani indicantes I I; cubiti exteriores K K, interiores M M: quemadmodum per literas L L ſupinatores breves, per a a cubitorum oſſa, perque literas bbbb phalanges, quas vocant, digitorum indicantur.

Jam vero ut ad inferiores artus redeamus, primò, ut ajunt, aſpectu, ſese offerunt lumborum proceſſus n n ab iſchii foraminibus d d dimanantes, & ſupra pectinæos muſculos PP diſperſi; iiſque adhærent ſurculi ς ς oſſis nervorum ſacri, qui ex pubis lateribus e proficiſcentes in penis ſuperficiem ſe inferunt. Sub oculis quoque ſunt ejuſdem oſſis ſacri ſatis conſpicui crurum trunci ο, qui ad calcaneum uſque protendunt. Item ipſis adhæret pſoas, atque interioris iliaci muſculoſa moles T diducta: quemadmodum ſemimembranoſus etiam reciſus S, ſeminervoſus V, gracilis R, ſartorius Q, & femoris denique acetabulum f, ſeu iſchii, atque adeo hujus femoris cervix i, quæ in altera parte a ligamentoſa, ut ajunt, ſubſtantia O tegitur.

Litera vero g magnum, & litera h parvum trochanterem, quos duas apophyſes vocant, indicat. Sub oculis præterea verſantur per literas I I femoris oſſa, per literas

n n

n n duo ipſorum *condyli*: ſive tubercula juxta capitula, pro muſculorum pedem moventium *hypomochlio*, quemadmodum per literam *o* rotulæ, per literas p p tendinoſa genu expanſio, per q tibia, perque r fibula, cum eodem femore arcte devincta conſpicitur. In oculos autem incurrunt per x tibiæ poſticus muſculus, per Y calcaneum, per Z poplitis nervus a magno crurali profectus: quemadmodum in altero dextero ſupra calcaneum per literam V propendere animadvertitur. Denique ſub oculis ſunt inferiores tibiæ epyphyſes s s, malleolus exterior t, extimæ pedis partis oſſa u u, & altera digitorum, quæ vocant, internodia x.

TABULÆ XV.

FIGURA I.

DEtractis communibus tegumentis a poſteriore corporis parte, extremi nervorum proceſſus, qui muſculos dorſi commeant, hoc in Icone exhibentur. Deprehenduntur quoque poſt occipitium A, & cervicem B, trapetii muſculi C C, quos cucullares vocant. Horum autem ſubſtantia a coſtarum nervis α β μ δ ε ζ κ θ ι perforatur. Item deprehenduntur lumborum nervorum filamenta κ λ μ ν, quæ non modo per dorſi latiſſimum muſculum λ μ ν, verum etiam per abdominis, oſſiſque ſacri muſculos diſtribuuntur.

Porro in brachiis extremus ultimorum cervicis nervorum ſurculus ξ ξ ſub oculis verſatur, qui per deltoidis D D, extenſoris brevis F F, ac longi M M ſuperficiem propagatur. Item in oculos ſese ingerit alter eorumdem cervicis nervorum truncus π, qui ſubter bicipitem E E proficiſcens, ad extenſorum tendinem L L, ſupinatorem longum G G, cubiti

cubiti exteriorem N, exterioremque radii I progreditur. Per literam vero H antagoniſta, ut ajunt, ſive interior radii muſculus in lævo brachio indicatur, qui diviſus in extimam tandem manus partem deſinit, & exinde in dexteriore ejusdem manus extima parte ſalvatella ex litera d exprimitur. Præterea oculis objicitur per literam o in cubito tenuiſſimus nervoſus ramulus, qui ſupra cubiti exteriorem muſculum O, & ejuſdem cubiti interiorem P extenditur.

Inſuper Auctor ea, qua pollet, diligentia oſtendit lumborum nervorum filamenta ρ ρ, quæ a trium glutæorum extremo R R exoriuntur, additis aliis majoribus truncis ♪ ♪, quorum dexter per vaſti exterioris corpus T; ſiniſter vero per ſubſtantiam bicipitis V V excurrit, quin membranaceum muſculum S S attingant.

Perſpicere quoque licet navam Auctoris operam, quippe qui nos admonet de varia ratione, qua ſolers naturæ ingenium quum in vaſorum origine, tum multo magis etiam in eorumdem progreſſu utitur; atque adeo ſeriem τ υ φ & nervorum, & vaſorum a ſitu ſuppoplitæorum, ut ajunt, dimanantem ſurſum aſcendere demonſtrat, modo inter bicipitem V, vaſtumque exteriorem T T, modo inter memoratum bicipitem, ac ſeminervoſum x x.

Denique in tibiis poſt peronæum poſticum a, ac gemellos quum Z Z, tum vero Y Y, animadvertuntur poplitis nervorum cum ſuræ nervis complexiones P P, quæ per exteriorem malleolum c c progredientes ad extimam uſque pedis partem, atque digitorum latera diriguntur: quemadmodum deprehenditur quoque ſolæus, qui per literas b b exhibetur.

FIGU-

FIGURA II.

SUperiore cranii parte diſſecta, cerebrum dura matre inſtar veli circumdatum conſpicitur; & per literas AAA in dextera parte, & per BB in ſiniſtra non arteriam modo DDDD præfatus exhibet Auctor, quæ quidem e proprio ſincipitis foramine emergens in ipſam deſinit: verum etiam tenues alios arteriarum ductus EE, qui a ſoporariis, ut ajunt, prope ſellam equinam exoriuntur, perque priorem, inferioremque ipſius partem diſperduntur. Porro conſpiciendos quoque proponit longitudinalem, ut ajunt, ſinum CC ſimul cum fibrarum ſerie HH, quæ in ſagittali ſutura ipſam ſuſtinent, quemadmodum literæ GGG indicant ſeriem fibrarum, quæ eamdem in coronali, & literæ II, quæ in lambdoidea illam ipſam ſuſtentant. Exhibetur quoque per literas FF ſitus tenuium vaſorum, quæ cranii ſpiramenta pervadunt: tum etiam per literam K ſitus quorumdam tuberum, quæ in ipſius durae matris ſuperficie glandularum in ſpeciem ſæpius animadvertuntur. Denique litera L interiorem, M vero exteriorem cranii laminam cum integumentorum ſectione N oſtendit.

TABULÆ XVI.

FIGURA I.

EXhibet navus, atque induſtrius Auctor hac in Tabula nervorum proceſſus in muſculorum ſubſtantiam ſese inſerentes. Per literam enim B oſtenditur ductus cervicis nervorum, qui prope atlanticam exoriuntur. Eorum vero, qui a tertia prodeunt apophyſi, eſt alter ramus æ, colli, auriſque muſculo diviſus. Ex litera autem y ultimo-

rum cervicis nervorum proceſſus indicatur, qui per diducti trapetii A A A ſubſtantiam ſerpit. Hunc tamen coſtarum, lumborumque nervorum ſtamina ſequuntur, quorum nonnulla δ ε τ N Θ I K λ in memoratum trapetium muſculum ſese inferunt: quædam vero λ μ ν ξ ο π ex medio ſpatio, quod inter dorſi longiſſimum T, & ſacro-lumbarem S intercedit, proficiſcentia in interiorem partem H H dorſi latiſſimi muſculi G abire conſpiciuntur.

Item per literam B rhomboides muſculus exhibetur, quemadmodum per literam D ſupra-spinatus, per E infra-spinatus, per F rotundus minor, per C deltoides, per I externum bicipitis caput, per K extenſor brevis, per L extenſor longus, per M longus quoque ſupinator, per N radii exterior, per R indicans Riolani, per P ſupinator brevis, per Q extenſor pollicis, perque O digitorum magnus extenſor, extremo cervicis, brachiorumque nervorum proceſſu ω munitus indicantur. Itemque per literam V muſculus membraneus oſtenditur, per X glutius, ut ajunt, major, per Y biceps, per Z ſeminervoſus, perque a ſemimembranoſus muſculus exhibetur, una cum tenui lumborum nervorum propagine, quam litera græca δ demonſtrat, ſimulque cum magno poplitis nervo S, qui a ramis oſſis ſacri proficiſcitur. Hic autem in tres alios diſtribuitur proceſſus τ υ φ, quorum tenuior φ per extimam muſculorum partem diſcurrens ad metatarſum uſque propagatur: alii vero duo ſubter interiorem c, exteriorem b, gemelli corpus b, anticum peronæum d deliteſcunt. Denique in dexteriore malleolo ad muſculi ſolæi latus per literam e flexor digitorum in tenuiſſima filamenta x diſtributus conſpicitur, quæ quidem in digiti pollicis deducentem f deſinunt, & per hanc græcam literam + dexter tarſus ab Auctore ſignificatur.

FIGU-

FIGURA II.

AUctor id ſibi nobis in hac Figura ſignificandum propoſuit, ut nimirum poſterior pars trunci inciſi cum ſpinoſis vertebrarum, quæ ad cervicem, & dorſum pertinent, apophyſibus appareret. Per literam enim A dexter, per B ſiniſter trapetius a vertebrarum apophyſi E, & L ſeparatus, atque ſubſtratus exhibetur muſculus, ut ſuppoſita cervicis nervorum filamenta α β μ δ ε τ quum in memoratos trapetios, tum in ſuppoſitos quoque ſplenios DC propagata, poſſint deprehendi; ſequitur ſuo in ſitu muſculus infra-spinatus, quem dicunt, ſacro-lumbi I, ſcapulæ elevator F, ſupra-scapularis G, ejuſque comes infra-spinatus H. Sub oculis denique verſantur poſteriores colli apophyſes, & primæ dorſi cum ſuis ligamentis tranſverſis, literis E E E indicatis.

TABULA XVII.

NON mirum eſt, ſi diligens, & ingenioſus Auctor minime in ſuperiore Icone deformaverit, quæ hic deformanda ſuſcepit, nimirum penitiores quoſdam nervorum proceſſus, quum nonnulli muſculi a poſteriore corporis parte abſciſſi, quidam vero ſubſtrati eſſe deberent. Hinc primos cervicis nervos a a, qui per occipitium diffunduntur, oſtendit, additis eorumdem inferiorum inſitionibus B ſupra ſiniſtrum cucullarem, ut ajunt, muſculum A diductum, qui trapetium quoque appellatur. Has quidem inſitiones ſequitur eorumdem propago y, quæ in ſubſtrati rhomboidis C interiorem ſubſtantiam ingreditur. Item ſequuntur quum dorſualium, tum lumborum etiam nervorum filamenta QN Θ κ λ μ λ, quæ per ſplenii extremum R, dorſi longiſſimi T T,

ac

ac ſacro-lumbi S S corpus progrediuntur. Præterea per literam G indicatur corpus dorſi latiſſimum, perque V ſerpens ramulus, qui a dorſualium, cervicis, brachiorum nervorum coitione conflatur.

Jam vero licet intueri per literas B B ſcapulæ elevatores, ſive muſculum patientiæ, ac ſupra-ſpinatos, quorum ſiniſter ad cervicis, & brachiorum nervorum inſitionem deformandam divergit. Id ipſum quoque in infra-ſpinatis E E, & in memoratis ſupra-ſpinatis muſculis D D non minus in ſitu, quam extra ſitum conſpicitur. Idem vero deprehenditur in rotundo majore F. Horum autem omnium nervoſi ductus ε φ a cervicis, & brachiorum nervorum truncis proficiſcentes, in rotundum muſculum etiam minorem I diriguntur. Item alia filamenta ultimorum cervicis nervorum ex litera x indicantur. Indicantur quoque extenſores, hoc eſt, per literam K longus, per H brevis, per L intimum bicipitis caput, perque græcam literam ϕ nervoſus ductus, qui per olecranon ejectus ad carpum uſque protenditur. Litera autem M conſpiciendum exhibet pronatorem longum, N cubiti interiorem, O exteriorem, P radii quoque exteriorem, & Q magnum inde digitorum extenſorem.

Sub oculis vero eſt in dextera parte ſcapulæ figura, quæ literis m m m deſcribitur, una cum ſpina l, atque acromio n, quod humeri ſinum, & capacitatem ſubit, quo in omnem partem flecti, moverique poſſit. Præterea ſublimis muſculus in radio per hoc ſignum ⊖ in oculos incurrit, quemadmodum ex hoc altero △ profundus, ac per literam T ſupinator longus, qui quidem omnes conſpicuo cervicis nervorum ductu donantur. Sequitur in femoribus tum lumborum nervorum, tum oſſis ſacri nervoſi trunci deformatio, quorum primi ε ſubter obturatoris exterioris corpus g g dimanantes, glutæis quum majore x, tum multo magis mino-

re

re V, ac minimo Y induuntur. Reliqui vero crurum nervi o o, per femoris muſculos recta diſcurrentes, tenues ipſis impertiuntur proceſſus, hoc eſt, bicipiti Z Z Z, ſemineryoſo b b, ſemimembranoſo, ut ajunt, a a, relictis recto *h*, exteriore vaſto f, qui a lumborum nervis ſuos nervoſos proceſſus deſumunt, quemadmodum in ſuperioribus tabulis oſtendimus. Per literam i indicatur cervix femoris cum duobus proceſſibus, quos *trochanteres* Græci appellant: perque literas o o adipoſa corpora, quæ inter os ſacrum, & perinæum collocantur.

Inſuper dextero in poplite deprehenditur memoratus nervoſus truncus ε ε, qui in gemelli c corpus ſese infert, emiſſo tenui tantum filamento nervoſo s, quod cum ſuræ vena ϛ conjunctum, ad extimam uſque pedis partem in multos, atque varios ductus diſtributum abire conſpicitur. Hocce autem filamentum in læva ſura aperto gemelli muſculi corpore in ſolæi ſubſtantiam *e* deſinit, per cujus inde ſuperficiem alius diſcurrit nervoſus poplitis ſurculus τ, qui a maximo crurum trunco originem ducens, & in femoris medio ſe dividens ad malleolum uſque interiorem, & exteriorem τ, ſimul cum aliis nervorum ductibus a poplite item exorientibus procedit.

TABULÆ XVIII.

FIGURA I.

EAmdem ferme rationem hac in Icone adhibet Auctor, qua uſus eſt in ſuperiore: nimirum ab ipſo eorum nervorum proceſſus, ac ductus, qui muſculos in poſteriore corporis parte locatos perreptant, exhibentur. Ac

primo quidem per literam æ inferiorum cervicis nervorum ramulus per diductam, denudatamque aurem, perque abſciſſum ſcapulæ elevatorem E diſcurrens indicatur. Literæ vero BBBB oſtendunt nonnulla dorſi nervorum filamenta, quæ in ſemi-spinatum D D deſinunt, & literæ y y y y quædam alia, quæ in ſacro-lumbi C C tendines ſese inferunt. In his autem dextero in latere deformandis ea Auctor diligentia uſus eſt, ut non modo eorum, qui ipſum præceſſerunt, ſed etiam qui ſequuti ſunt, Anatomicorum ſtudium, atque ſedulitatem longe omnium ſuperarit. Ii deinde numeri 2 2 2 2 &c. apophyſes vertebrarum oſtendunt, diducta carnoſa mole latiſſimi dorſi muſculi F. Per literam autem B elevator ſcapulæ muſculus exhibetur ſuo in ſitu locatus, tum in ipſa ſcapula non magis media pars r r, quam extrema x omnium muſculorum mole expoliata apparet, additis ſpina s s cum acromio t t, atque cervice u u quaſi in acetabulum deſinente, quam humeri caput Y Y excipit.

In lævo autem brachio muſculus animadvertitur rotundus major literis H H indicatus, atque axillarium nervorum propagine ♂ præditus, ex cujus extremo alter ductus n emergit, qui per brevem extenſorem G progreditur: item alii duo majores proceſſus ⊖, & ꟷ emergunt, quorum alter extenſori longo I ſuperinductus, inter cubiti muſculum Z, interioremque radii M ad carpi uſque flexuram deſcendit; alter vero t per bicipitem muſculum K diſcurrit, donec radii interioris muſculi L principio occurrat, in quo deliteſcens iterum emergit, & ad ipſius latus uſque ad carpum excurrens in plures ramulos dividitur, qui in ſiniſteriore manus vola diverſi abeunt.

Dextero vero in brachio, ut inferiorum cervicis nervorum furculos ♂, in bicipitem O, pronatorem longum P, exterioremque brachii N diſtributos oſtenderet Auctor, muſcu-

lum

lum extenſorem brevem G, ſupra longum extenſorem K, atque rotundum H naturali in ſitu locatos diduxit. In radio autem ſubter ipſius radii interiorem muſculum Q emergit brachiorum nervorum extremus ſurculus, qui hoc ſigno ε indicatur; hic vero ſurculus non per cubiti modo exteriorem S, verum per extimam etiam manus partem propagatur. Deinde per literam R, quum exterior, tum vero interior cubiti muſculus exhibetur.

Item perſpicere licet dextero in femore magnum crurum nervorum truncum μ, qui ab oſſis ſacri ramis proficiſcitur. Hic per poſteriorem femoris partem procedens finitimis muſculis, bicipiti nimirum Z f, ac ſeminervoſo a ſurculos nonnullos impertitur, inde vero ad poplitem pertingens in alios, atque alios dividitur ramos H c, qui non ſolum extimam muſculorum partem, ſed interiorem quoque eorundem ſubſtantiam pervadunt: idque ita, ut in læva parte luculentius perſpiciatur. Item hoc eodem loco Auctor conſpiciendam proponit utramque gemelli ſubſtantiam d ad eam rem ſeparatam, quo facilius iis ſubditus ſolæus e appareat.

Læva autem in parte poſtquam Auctor deformavit iliacum externum T, lumborum nervorum propaginibus K præditum, & perioſtium oſſis ilii V, muſculum quadratum X, adipoſaque corpora hh, ipſumque magnum crurum nervum μ exhibet. Hic autem ſurculos aliquot divulſo bicipiti Y, ſeminervoſo Z, ac tricipiti a impertitus, in duos conſpicuos truncos ν, & ξ dividitur, quorum poſtremus in ſolæi ſubſtantiam d inſeritur: alter vero per interius venæ g, quæ ſubter poplitem exiſtit, latus excurrens, muſculo ſuppoplitæo, quem ajunt, b, aliiſque finitimis muſculis nonnullis ſurculis donatis, ad extremum uſque pedem dirigitur, ibique nomen ſuralis o nanciſcitur; & in pedis planta in multos, ac varios tenues proceſſus diviſus apparet.

FIGU-

FIGURA II.

QUO facilius igitur magni crurum nervi ductum *o* a in ſura proficiſcentem, unde ſuralis appellatur, tum ipſius nervi in planta pedis progreſſum, ac diviſionem idem Auctor oſtenderet, integumenta i primo diduxit, deinde plantæ brevis muſculi tendines III ſumma cum diligentia extulit. Quare ex hujuſmodi diviſione non tres modo ab eo proficiſcentes furculi ſ S T, per extremos digitos diſcurrentes conſpiciuntur, verum etiam calcaneum q, digitorum flexoris m, pollicisque proprii tendines o, una cum minimi digiti adductore n exhibentur; quemadmodum per literam p alter nervoſus proceſſus exhibetur, qui a priore pedis parte dimanans, in poſteriorem, interioremque ipſius partem divergere deprehenditur.

TABULÆ XIX.

FIGURA I.

HAC in Icone ſese primo oculorum intuitu conſpiciendos exhibent muſculi, atque nervi, qui in poſteriore humani corporis parte animadvertuntur, quorum nonnulli in proprio ſitu, quidam vero vel ſurſum evecti, vel extra ſitum poſiti apparent. Per literas enim A A ſplenii muſculi primo indicantur, ab occipitii latere diſciſſi, atque utramque in partem diducti, ut primi cervicis nervi per ipſos excurrentes in oculos facile incurrant. Licet inde intueri per literam B complexum, quem ajunt, muſculum, a ſiniſtro quoque occipitii limite ad latera divulſum, ad quem cervicis nervorum ramuli ſubeunt, atque pervadunt.

Ex

Ex litera autem B dexter complexus muſculus ſuo in ſitu, quem natura ſortitus eſt, oſtenditur. Item per literam a nervoſus ramus demonſtratur, qui per cervicem excurrens, & ad occipitii latera deflectens, ad ſinciput uſque ſcite protenditur. Deinde indicatur per literam E apophyſis, quæ pro firmiore articulo præ novem ceteris effertur. Præterea literæ F F oſtendunt rectos extenſores majores muſculos: quemadmodum literæ D D rectos extenſores minores cum ſuperiore obliquo, ſiniſtro lateri adhærente, & C C ſpinatos muſculos ſuo in ſitu locatos, quorum lævus a tribus primorum cervicis nervorum ſurculis B Y perforatur. Ex græcis autem literis ♪ ♪ ♪ tres alii quoque nervoſi ramuli indicantur, qui ultimorum cervicis nervorum ductus, & primi thoracis nuncupantur, quique ſupra ſpinoſas quum colli, tum etiam thoracis vertebrarum apophyſes in tranſverſum deducti ſpinatos muſculos irretiunt. Inſuper per literas G G ſese oculis objiciunt longiſſimi dorſi muſculi, atque ſex nervei ſurculi, qui ad ipſos medios pervadunt EPNQIKU, quique oblique abeuntes in ſacro-lumbi muſculos ad latera utrinque ſubeunt, alii vero per muſculos ipſos longiſſimos excurrunt. Sub oculis deinde ſunt literæ H H indicantes ſacro-lumbi muſculos, aliquanto abductos, & L L oſtendentes muſculos latiſſimi dorſi, in apophyſibus vertebrarum tranſverſe diſciſſos, & ad ſcapulæ latera ſubſtratos. Græca vero litera ξ indicat nervum, qui a cervice dimanans, dextero in brachio ſubter axillam evehitur, quique humerum pervadens pluribus ramis in muſculos poſt cubitum infigitur. Ex litera autem K oſtenditur extenſor cubiti longus, ex L brevis, & ex M exterior brachii, qui ſubtus invicem glomerati validiſſimum tendinem conficiunt in olecranon ſese inferentem. Perſpicere quoque licet per literam N cubiti exteriorem muſculum non a ſua origine ſolum reciſum, ſed inferiore etiam parte aliquanto

 reſle-

reflexum, ut brachiorum nervi facilius appareant. Item licet intueri per literam Q exteriorem radii muſculum ſuo in ſitu locatum: quemadmodum per literam P pollicis, indiciſque digitorum ſimul adhærentium extenſorem, & per literam O magnum etiam digitorum extenſorem. Præterea in femore muſculus glutæus major per literam T oſtenditur, & minor pariter ſupinatus, perque R eorum tendines in magnum trochanterem deſinentes. Inſuper apparent diſtincti tres nervorum ductus, qui ex magno crurum nervo O Q exorientes, radiorum inſtar in minoris glutæi ſubſtantiam ſese inferunt, ubi ramis plurimis fruticantur. Conſpiciendum inde ſese objicit per literam S minimus glutæus in ſitu locatus, qui ſubter memoratos nervos ſese diffundens in magnum trochanterem pervadit. Litera autem V exteriorem obturatorem muſculum exhibet, qui a figura, quam præſefert, piriformis vulgo appellatur, litera vero n magnum crurum nervum indicat, qui, dum ab oſſe ſacro prodit, nervorum caudicibus augetur, perque poſteriorem femoris partem progrediens ad pedem uſque pertingit. Sequuntur literæ x x indicantes bicipitem muſculum, cujus primum caput ab iſchii tubere, alterum vero a media ferme parte poſteriore femoris derivatur; tametſi eadem principia ſimul in inferiore parte conjungantur, eorumque tendo in poplite reciſus, atque ſubſtratus appareat, ut crurum nervorum proceſſus facilius inſpiciantur. Sub oculis quoque verſatur per literam a muſculus vaſtus exterior, per Y ſeminervoſus ſuo in ſitu, perque Z ſemimembranoſus muſculus ab iſchii quoque tubere natus, & crurum nervi ductu implicitus exhibetur.

Magnus crurum nervus ad poplitem pervectus in duos inſignes dividitur ſurculos, qui per literam S indicantur. Interior autem ſurculus, qui magnus nervus eſt, multos, ac varios ſurculos gemellis præbens, in media tibia nervum exhibet,

hibet, atque in calcaneum definit. Alter vero exterior, qui minor est, intra musculos reconditur. Item per literam h peronæus posticus, & per literam g magnus digitorum flexor exhibetur: quemadmodum per literam f tibiæ posticus musculus in situ locatus ostenditur. Supra præfatos autem musculos ad latera, & extra situm tres musculos per literas b b intueri licet, hoc est, gemellum dexterum d d, & siniſtrum, & solæum c c, qui simul connexi chordam magnam in utroque latere constituunt, tametsi hoc loco ipsa a calcaneo resecta apparet.

FIGURA II.

HAC in Icone per literam S sua veluti sponte se in oculos ingerunt & crus posteriore parte conspiciendum, & magnus crurum nervus, qui non iis ductibus donatus animadvertitur, quibus in superiore Icone præditus conspiciebatur. Litera autem n oculis objicit peronæum posticum; quemadmodum litera i tibiæ posticum, M magnum digitorum flexorem, l pollicis digiti flexorem in situ ostendit. Oculis inde occurrit per literam p minor digitorum flexor musculus suis tendinibus q munitus, qui cum tendinibus extensoris majoris conjuncti, hic a propria sede submoti apparent, ut suræ nervi mira dexteritate, ac solertia deformati per pedis plantam excurrentes conspiciantur.

Denique per literam O indicatur pars extensoris pollicis ab interno malleolo excisa, in quam plures nervorum ductus e poplitis nervo derivati inseruntur: quemadmodum per S musculus interior, qui interosseus appellatur, & per t minimi digiti deductus musculus, perque r pedis planta communibus tegumentis contecta exhibentur: etiamsi hæc aliqua in parte

te denudata apparet, idque eam in rem factum eſt, ut magni crurum nervi proceſſus, qua ratione per ipſam diſtribuuntur, palam fiat.

TABULÆ XX.

FIGURA I.

UT ea, qua par eſt, diliguntia Auctoris mentem aperiamus, ita cunctorum oſſium compaginem hac in Icone demonſtrandam aggredimur, ut quamlibet ejuſdem partem extra ſitum locatam conſideremus.

Ac primo quidem in hujus oſſeæ formæ dorſo duo muſculi conſpiciuntur, qui ſacro-lumbares vulgo appellantur, etſi aliquantulum ſupra coſtarum latera ita reflexi appareant, ut mirum ipſarum coſtarum nervorum machinamentum facilius pateat. Hi porro nervi in apophyſes ſpinoſas euntes, ſurculos per ipſos muſculos ſese diffundentes exprimunt, eoſque etiam in occipitio, relictis primæ, & ſecundæ vertebræ ligamentis. Inſuper de medio ſublatis exterioribus coſtarum muſculis, interiores ſolum muſculos conſpiciendos Auctor proponit. Hi autem cum præfatis muſculis extrinſecus decuſſantur. Præterea qualibet in parte poſteriore hujus figuræ repagulum apponitur, idque ita, ut peritonæi tela ad vertebrarum lumborum latera ob oculos ponatur. Denique ſub oculis verſantur crurum nervi, qui ad ilium latera ſubtus diſſecti penſiles deprehenduntur ſimul cum parte muſculorum, qui pedibus motum præbent.

FIGU-

FIGURA II.

EX posteriore parte siniſter humerus exhibetur, in cujus vertice rotundum caput occurrit; idque grandiuſculum, globoſum, quod ſcapulæ ſinus excipit. In ejuſdem vero externa parte rima inest, ſeu via, qua ingens tendo, qui bicipitem muſculum effingit, in brachium tuto commeat. At imum humeri ad cubitum ſpectans non globoſum, ſed uno; & altero tuberculo utrinque turgidum eſt, altero extrinſecus minore, interiore altero, atque majore, quod oſſi cubiti adnectitur, & rotulæ figuram præſefert.

FIGURA III.

IDem humeri os hac in Icone oſtenditur, etſi humerus dexter cum naturali inæqualitate ex interiore parte reflexus conſpicitur, cum idem ſit ſummum ejus caput, & inferior pars, quæ tamen ea cavea prædita exhibetur, in quam ſese infert oſſis cubiti, olecranon vulgo dicti, vertex, tum proceſſus medius, qui foras exporrigitur, & trochlearum more convolvitur.

FIGURA IV.

DUO hic, quibus brachium ſtruitur, oſſa exhibentur, quorum majus cubitus, minus vero illi inſidens radius appellatur, & ea quidem utraque interiore ex parte reflexa conſpiciuntur. Longius enim, magiſque extenſum os cubiti apparet, quum proceſſum olecranon demonſtret inſtar pollicis, & ſuperiore parte tuber illud, quo radii capiti inſeritur. Hoc autem radii caput rotundum, & leviter ſinuatum deprehenditur. Cubiti vero, radiique media hiantia ſunt, &

disjuncta, quæ tamen rursum inferiore parte ad primam palmæ partem coeunt, occurritque cubitus minimo digito, radius pollici.

FIGURA V.

EXpositis ex interiore facie ossibus tam cubiti, quam radii, nunc eadem exteriore ex parte exhibet Auctor; os enim cubiti inferiore, atque exteriore parte longius est, tum suum habet verticem, quem olecranon processus efficit, quique in posterius humeri cavum se recondit, ut supra diximus. Aliud porro os radii exilius, altiusque animadvertitur, quemadmodum superiore suo capite rotundum. Idem autem inferiore parte altius, latiusque cubito ad internum latus apparet.

FIGURA VI.

SEse in oculos ingerunt hac in Icone quum tibia, tum vero sura, quam Medicorum vulgus fibulam appellat, eæque interiore ex parte nobis conspiciendæ, quo facilius lata verticis tibiæ basis primo conspiciatur, in quam femoris tuberculum sese inferere supra ostendimus. Eadem vero tibia deorsum progrediens, aliquanto ad medium exilior evadit, atque dum definit, aliquanto excavatur, sensimque ampliorem figuram induit, excipitque talum. Intrinsecus autem, & a latera per patulum tuber interiorem malleolum constituit. Fibula vero, sive sura tanto brevior est, quanto parte ima longior apparet opposita tibiæ appendice. Deinde, producto aliquantulum sui ipsius tubere interiorem malleolum effingit, & extrinsecus præfato talo ad latus adhæret.

FIGU-

FIGURA VII.

PRiore parte duo ipſa oſſa, nimirum tibiæ, & ſuræ perſpicienda, atque extenſionibus ſuis non minus in vertice, quam in fine donata exhibentur. Præterea iiſdem oſſibus aliquanto minus invicem disjunctis, tibia ſuo in capite magis elata, atque in medium plus æquo, quam ſura incurva apparet. Sura verò dum deſinit, tibia naturaliter longior evadit, quo exteriorem malleolum gignit.

FIGURA VIII.

POſteriore ex parte Auctor hoc loci femoris os indicat, & primo ejuſdem caput, quod in coxendicis acetabulum conjectum convolvitur. Sequitur inde ejuſdem cervix, quam collum appellant. Ab ea cervice exigui duo manant proceſſus: majorem, qui foras exilit, alii natem, alii trochanterem magnum dixerunt, minorem vero trochanterem parvum. Extremum inferius tuberculis eſt diſcretum duobus, quibus cruri cohæret. Hoc autem loco minime deformata conſpicitur rotula, ſive patella, quæ femoris, tibiæque in genu campagem tegit, atque extrinſecus firmat, tametſi ejuſdem naturalis ſitus indicatur.

FIGURA IX.

IPſum femur hac in Icone indicatur exteriore parte inverſum non magis cum capite, quam cum cervice, & magno trochantere. Subter ipſam vero cervicem minor alter proceſſus exhibetur, quem propterea parvum trochanterem nominant. Inferiore autem in parte, ſeu extrinſecus in ipſo femore præter duo illa tubercula, quæ in lateribus offert,

in medio rima illa grandis aſpicitur, quæ ſanguinea vaſa per pedem excurrentia excipit.

FIGURA X.

HAC in Icone ſub oculis eſt pars illa oſſis, quæ coxendicis; ſive iſchii acetabulum conflat: ad quod pariter efficiendum ipſum iſchii os ad latera, inferiore autem parte os pubis, ſive *pectinis*, quæ ſemicirculi figuram præſefert, conſpirare animadvertuntur.

FIGURA XI.

SUperiore vero parte, atque extrinſecus hoc loci apparet os ileum, iſchio ipſi inhærens, quod ad interius latus illi ſuppoſitum eſt, quemadmodum oſſi pubis, quo de infra dicemus. Quin imo ex hujuſmodi oſſium conjunctione poſt iſchii acetabulum notum illud ovata figura præditum foramen conflatur, quod a muſculis pectinæo, ſive *livido*, tricipite &c. obtegitur, de cujus inæqualitate Tab. XXVI. loquemur.

FIGURA XII.

PRæterea aliud ileum os ſupinatum hic ſpectatur, ut non modo ejuſdem criſta, quæ ſuperiore parte ipſum ambit, deprehendatur, ſed cavea illa quoque, quæ in medio viſcerum partem excipit, & poſteriore parte ſinum longum conſtituit, elatumque, ut in ipſum oſſis ſacri latus inferatur, quemadmodum inferiore quoque in parte os iſchii ipſi ileo adnexum apparet. Porro pubis os ovata etiam figura donatum exhibetur, ut præfatum, quod hic intrinſecus conſpicitur, foramen efficiat.

FIGU-

FIGURA XIII.

MAnus explicanda hoc loco nobis proponitur; & primo interiore ex parte nobis ſese offert, nimirum cum carpo, qui octo diſtinctis oſſibus, inter ſe inæqualibus, & frequentius duos in ordines diviſis conſtituitur. Ordo enim ille, qui prope metacarpum eſt, expanſior videtur, & oſſa quinque, quibus carpus contextus eſt, interius aliquantulum cava deprehenduntur. A ſingulis vero illis oſſibus ſinguli digiti directe porriguntur, uno pollice dempto, qui oblique metatarſo, quem dicunt, videtur additus, & duobus tantum oſſibus conſtitutus, prioriſque nodus conſequentis ſinum perpetuo ſubit. Alii autem digiti quatuor tribus oſſibus conflantur, ſuis cum apophyſibus minus tamen elatis, quam illas eſſe conſtat, quæ in metacarpo indicantur, de quibus clarius Tabula vigeſima ſexta loquemur.

FIGURA XIV.

EXtima ipſius manus pars hac in Icone conſpicienda exhibetur, a ſummo ad carpum uſque leviter tumens, atque intus ſinuata, tum apophyſibus deſtituta, quas ſupra in interiore ipſius manus parte deprehendi oſtendimus.

FIGURA XV.

LIcet hic intueri carpum octo oſſibus donatum, quæ interiore parte juncturas faciunt, eaque a nonnullis *Raſette* appellantur.

FIGURA XVI.

PRæterea oculis ſese hac in Icone objicit medius carpus extima ex parte inverſus, atque ab oſſibus metacarpi pariter disjunctus, tum ita ſurſum evectus, quo facilius poſtremorum oſſium, quæ oſſibus quinque metacarpi adhærent, figura appareat.

FIGURA XVII.

PRæterquam quod carpus hoc loco ſupinus locatur, etiam aliquanto attollitur, ut interior ejus pars conſpiciatur: unde prima duo ejuſdem oſſa occurrunt, quæ radio aptantur, ut ſimul cum muſculis multos, ac varios motus emittant, additis aliis identidem oſſibus, quæ in metacarpi juncturis conſtituta reperiuntur.

FIGURA XVIII.

CArpus denique hic oculis objicitur, inclinatus, illa etiam ex parte, qua oſſibus metacarpi jungitur; atque inde per exteriorem faciem octo oſſa, quibus conflatur, exhibentur,

FIGURA XIX.

AUctor, ut pedis ſtructuram apertius patefaceret, non extimam modo pedis partem, quæ num. XVII. indicatur, ſed etiam intimam ejuſdem partem deformavit. Ipſius autem pedis tarſus, ut ajunt, ſeptem diſtinctis oſſibus præditus conſpicitur, quorum unum, quod ſupra locatur, talus, ſive aſtragalus nuncupatur. Hic vero multas habet inæqualitates, atque exteriore in latere caveam, ſive ſinum, cui fibula adhæret: tum inferiore parte aliquantulum oſſi calcanei

neo pluribus tuberibus adnectitur, & priore parte cum talo conjungitur. Os tamen calcaneum prima veluti fronte in hac Icone occurrit, quod inæquale maxime ſubter pedis plantam conſpicitur, ubi per plures caveas excreſcit, talo adjungitur, & priore parte naviculari oſſi adhæret. Tertium autem os, quod etiam teſſeram nonnulli appellant, tribus aliis oſſibus inſeritur, quæ prima metatarſi internodia, ut ajunt, conſtituunt. Poſtremum tandem conjungitur oſſi, quod a figura, quam præſefert, naviculare appellatur. Hoc autem ab oſſe calcaneo, & priore parte a poſtremis duobus metatarſi oſſibus excipitur. Itaque hujuſmodi oſſium interior pars in Fig. XIX., ut diximus, exprimitur, quemadmodum in XVII. exterior, ubi quatuor metatarſi oſſa aliquantum gibboſa extrinſecus animadvertuntur, intrinſecus vero caveis ſimul cum tuberculis donata, quibus ad digitos adjunguntur. Horum autem quodlibet tribus exiguis oſſibus coaleſcit, præter pollicem, qui ex duobus exteriore parte aliquanto gibboſis, ut ex Fig. XVII. patet, intrinſecus vero cavis cum ſuis tuberculis, perinde ac in XIX. Fig., conflatur.

Poſtremas autem, quæ hic ſequuntur, Figuras Auctor quaſi præteriens indicavit. Et ſane Fig. XX. os tali exteriore parte conſpiciendum objicit. In XXI. ipſum os inferiore parte exhibetur. Ex Figura XXII. naviculare os, ejuſque exterior facies indicatur; & per Figuram XXIII. interior præfati oſſis facies oſtenditur. Figura vero XXIV. exprimit os calcanei, & ſuperiorem ejus partem, qua cum talo conjungitur: quemadmodum XXV. ipſum os ad latus, & exteriore facie exhibet; & Figura XXVI. idem pariter offert ſupinatum, ut tuberculum illud, quo humus teritur, multo elatum appareat. Per Figuram XXVII. teſſera, ſive talus nobis conſpiciendus proponitur, illa cavea præditus, qua intrinſecus oſſi talo adhæret: perque Figuram XXVIII. illud ipſum

appa-

apparet ſupinatum, quo ob varias, quas præſefert, facies polymorphon appellatur. Præterea ex Figura XXIX. quatuor oſſa ſimul conjuncta oſtenduntur, nimirum tarſi priora inferiore parte conſpicienda, os cuboides, quod pollicem digitum ſpectat, & naviculare, quod cum duobus mediis, de quibus ſupra, ad minimum digitum protendit. Denique exterior illorum oſſium facies per Fig. XXX. ſub oculis verſatur.

TABULÆ XXI.

FIGURA I.

NEC minor in Auctore fuit rerum anatomicarum intelligentia, ac ſtudium, dum nervorum e cerebro originem, eorumque ductus per ſpinæ medullam ſese diffundentes explicavit. Itaque cerebrum prima fronte a lateribus ſubmotum ad duos uſque ventriculos, & crura, ſeu pedunculos, ſimul cum eminentiis, & natibus occurrit.

Et primo quidem per literas A A tertium ventriculum a ipſius latera abſciſſum intuemur: quo fit, ut corpora ſtriata, & nervorum opticorum origo pateant. Ex literis autem B B indicatur cerebellum dura matre exſpoliatum, piaque indutum membrana, atque in duos diſtinctos lobos elatum. Literæ vero C C tubercula in ſitu, quæ nates appellantur, oſtendunt: quemadmodum literæ D D teſtes ſuo etiam in ſitu locatos demonſtrant. Licet inde intueri per literas H H nervos opticos, per I nervum, quem ajunt, motorium, perque E integumenta ipſa in fronte ſupinata, perque L patheticum nervum ſiniſtrum proprio in ſitu affabre deformatum. Item ſub oculis eſt per literam K quintum par, ſeu primus guſtatorius, quem dicunt, nervus: ut per literas N N duræ matris in ſitu limbus ſpectatur. Præ-

terea

terea conſpiciendum ſe exhibet per literas N N N cranium oblique reciſum: tum per G G cranium ipſum in vitrea oſſis frontis lamina dura matre exutum, & prope os inſtar criſtæ, atque cum oſſe MC, quod quum varie pertuſum ſit more cribri, a Græcis ethmoides dicitur, conjunctum apparet. Denique ex litera F temporum muſculus deorſum ſubſtratus, & ex literis O O integumenta aliquantum inclinata deprehenduntur.

FIGURA II.

PER literas A A hac in Icone oſtenduntur integumenta, quæ ipſam frontem contegunt, etiamſi magna ex parte ab ipſo oſſe avulſa. Ex literis vero B B temporum muſculi ſuperiore parte a temporum oſſe diſciſſi, & ad latera vergentes: quemadmodum ex G ethmoides os comparet, & ex Q quinti paris extenſio per ipſius oculi membranas ſese diffundens, & per c c eadem extenſio aliis, atque aliis inde ramis diviſa, quæ extra cranium in frontem abit. Item literæ O O O &c. duram matrem indicant, quæ in extremitatibus inſtar circuli conſpicitur, ut ejuſdem duræ matris facies quum interior, tum exterior ſpectetur. Præterea ex literis F F oſtenditur duræ ipſius matris interior pars, quam cranii oſſa veſtiunt, ad latera quidem extenſa: ut ex literis E E cerebellum pia matre integre contectum, & ex D D baſis tertii ventriculi, ubi corpora ſtriata locantur, exhibetur. At cerebrum, quod illam conſtituit, eam ad rem prorſus amotum deprehenditur, ut nervorum opticorum thalami, eorumdemque principium clarius innoteſcat. Per literas autem M M exhibentur nervi optici a thalamis emergentes, poſteriore parte verſus tertium ventriculum divulſi, eademque poſteriore parte prope cerebellum elati. Item duæ li-

teræ MM, quæ ſuperiore Iconis parte conſpiciendæ exhibentur, ipſorum nervorum opticorum inſitionem ad falcem meſſoriam oſtendunt; imo plane ipſi nervi optici ſese iterum dividentes, & alter quidem per dexteram, alter per lævam partem viam capeſſens, in oculos contendunt, qui duobus illis globulis, propriis integumentis contectis, per literas CC ſignificantur. Perſpicere inde licet per literas KK motorum, quos vocant, nervorum originem. Hi autem nervi e priore parte oblongatæ ſpinæ prope glanduloſa cerebri tubercula proficiſcuntur. Litera autem T indicat patheticum, ſive patientem dexterum nervum, qui a poſteriore ſpinæ oblongatæ parte dimanans, ad motorum latera ſimul cum ipſis oculum ſubiturus priore parte protenditur. Porro apparent per literas N N quintorum parium origines, ſeu guſtatus nervicum multis, variiſque ductibus, qui ad ſenſus, motuſque functiones intra, & extra cranium ſuppetunt, ſatiſque ſunt. Ex literis vero P P indicatur foramen oſſis ſphenoidis, & nervus ipſe dura matre indutus: quemadmodum ex literis II infundibulum, quod a tertio ventriculo per priorem partem, ad ſellam turcicam ducit, ubi glandula pituitaria deprehenditur. Denique literæ H H ipſius ſellæ partes dura matre ad latera contectas demonſtrant.

FIGURA III.

HIC deſcribitur ab Auctore caput, quod in tranſverſum poſitum, atque poſteriore parte inclinatum conſpiciendum offert. Item cranium ipſe Auctor, tum priorem omnem, poſterioremque cerebri partem ad eam rem amovit, ut plures nervi, qui ex cranio exorientes in ſpinæ medullam deſcendunt, indeque per omnes humani corporis partes profunduntur ad motionum impetus ſuſtinendos, apparerent.

Ac

Ac primo quidem ſub oculis ſunt literæ A A indicantes glandularum, ac medullæ priores proceſſus, in primo ipſius ſpinæ medullæ exortu locatos, quique poſt Euſtachium huic noſtro Auctori innotuerunt. Sequuntur cerebelli gemini lobi ſuis lamellis, ac pia matre contecti, qui literis B B indicantur. Per literam autem Q exhibetur coitio vertebrarum arteriarum, quæ priore parte ſubter ſpinæ medullam hic reflexam eriguntur, ut cum prioribus, ſive ſoporariis, ut ajunt, hujuſmodi inſitione reciſis conjungantur. Ex literis vero R R R R cranii limbus reciſus indicatur: quemadmodum ex litera E dura mater, quæ ſubter cerebri baſim illum ipſum tegit. Porro literæ C C demonſtrant oculos ex cavea oſſea ablatos, atque ocularibus membranis contectos. Inſuper per literam I opticus nervus dexter, per R æque dexter nervus motorius, quem dicunt, perque L par quintum, ſeu guſtus primus in alios, atque alios ramos diviſus, atque in cranii foramina ſese immittens apparet. Item ex litera M guſtatorius, ut ajunt, nervus alter, ſive par ſextum, qui ambo cum proximo pathetico oculum ſubeunt: quemadmodum ex litera N durus nervus, molliſque, quem vocant, auditorius, & ex litera O vagus nervus oſtenditur. Intueri inde licet per literam D communia integumenta extra cranium ſubſtrata, & per literam S temporum muſculum, ſive crotaphiten ſejunctum, & inferiore parte ſupinatum. Apparet deinde ex litera F os ethmoides, & ex H partes ſellæ ad latus dura matre indutæ conſpiciuntur. Denique ex litera G infundibulum ad glandulam, quam dicunt, pituitariam ducens, & ex P ſpina oblongata, ex qua muſculi motui inſervientes originem trahunt, ſignificatur.

FIGURA IV.

SUperiore cranii parte ſimul cum cerebro amota, quidquid in ipſo cranio reliquum eſt, hac in Icone Auctor patefacit.

Itaque litera A ſiniſtram cerebelli partem ad dexteram ſubſtratam, ut ejus ipſius baſis appareat, oſtendit. Per literam vero B exhibetur dextera cerebelli pars, quam pia mater ſuo in ſitu ornat, atque obtegit. Item ex litera C ſpinæ medulla intra cranium, atque ad priorem ipſius partem ſupinata conſpicitur: quemadmodum ex D eadem ſpinæ medulla, eaque extra ſuum foramen reciſa apparet. Porro litera M denotat ſexti paris, ſeu vagi ramum, qui plures e ſuo ſinu ramuſculos ad ſpinæ medullæ latera intra cranium immittit, ac conjicit, quod Euſtachius jamdudum animadverterat. Inſuper indicat S litera vagum nervum pluribus filamentis in ipſam ſpinæ medullam infixum. Præterea per literam R auditus nervus, per Q guſtatorius, ut ajunt, alter, ſive par ſextum, per V patheticus, per O motorius, per N nervus opticus, per G G oculi in proprio ſitu ſuis membranis contecti, per K equina ſella, per I infundibulum ad pituitariam ducens glandulam, per F criſtæ proceſſus, iſque fractus, perque E os cribriforme oſtenditur. Deinde cranium uſquequaque fractum ex literis x x x ſignificatur, & ex literis H H dura mater cranium ipſum operiens indicatur. Denique litera P parvum arteriæ carotidis ramum, qui per duram matrem propagatur, & litera M communia, quæ extrinſecus cranium ambiunt, ac tegunt, integumenta demonſtrat.

FIGURA V.

NItide, atque opportune hac in Icone nobis exhibet Auctor cranium pluribus in partibus fractum, idque in eam rem, ut quæ in eo ſunt concluſæ partes, per tranſverſum conſpiciantur.

Ac principio quidem per literam A cerebri medulloſa portio multis flexibus ſinuoſa oſtenditur, & per C alia medullæ portio ex priore ſui regione ſubſtrata, ac prope glanduloſa corpora ſucciſa indicatur. Item ex litera B cerebellum pia matre contectum: quemadmodum ex D E ſpinæ medullæ pedunculi a cerebro, & cerebello progeniti oſtenduntur. Litera vero G motorium, ut ajunt, nervum opticum, & H guſtus primum, ſeu par quintum, I auditus nervum, K denique vagum nervum, ipſiuſque vagi ramuſculos, qui hinc inde ſpinæ medullæ lateribus adhærent, ſignificat. Inſuper per literam L par nonum, per Q lateralis vagi ad collum proceſſus, per M primus cervicis nervus, qui inter ipſius ſpinæ foramen, & primam vertebram locatur, per N alterum par cervicis, perque O vagi ramuſculus cum primis cervicis conjunctus exhibetur. Præterea ſub oculis eſt litera R indicans arteriam carotidem prope cranium exciſam: quemadmodum ex literis R R R dura mater fracto cranio adhærens demonſtratur. Ipſa autem dura mater a cerebelli ſuperficie avulſa, & ad dexteram partem ſubſtrata literis S S indicatur. Perſpicere quoque licet per literam V ſpinæ medullam extra cranium exciſam, atque ſubſtratam, & per T communium integumentorum, quæ cranium ipſum ambiunt, partem inferius reflexam, perque x partes communibus integumentis denudatas, atque ad ſiniſtram colli partem ſubſtratas, quo facilius vagus nervus in oculos incurrat.

Denique ex litera Y muſculoſæ inæqualitates per tranſverſum ad ſpinam exciſæ apparent.

FIGURA VI.

APerto in tranſverſum cranio, ſubmotoque & cerebro, & cerebello, qua ratione diſciſſi ſpinæ medullæ nervi ſinguli in ſua foramina pervadant, hac in Icone palam fit.

Et ſane prima fronte partem illam diſſecti, amotique cranii literæ A A A A A A oculis obiiciunt. Per B autem criſtæ proceſſus indicatur. Per literas inde C C ſub oculis eſt os ethmoides, ſeu cribriforme, perque F F geminæ caveæ dura matre obtectæ, quas temporum os, & ſphenoides producunt. Item ex literis GG duo alia cava a temporum item, & occipitii oſſibus conflata, quæ cerebellum excipiunt, ſub oculis verſantur. Litera porro E poſteriorem lambdoideæ ſuturæ proceſſum exhibet, & litera H ſellæ equinæ priorem partem, & I infundibulum alio loco indicatum, oſtendit. Inſuper ex literis K K apparent duo optici nervi carotidibus arteriis adnexi, qui a primis foraminibus ab oſſe ſphenoide conflatis prodeuntes, oculos ipſos ſubeunt. Per literas autem R R pathetici oſtenduntur nervi, qui cum motoriis L ſuperiore parte ad latus interius deformatis extra cranium procedunt ad oculos ituri, dum per oblongum oſſis ſphenoidis foramen tranſeunt. Præterea literæ M M denotant guſtatorios, ut ajunt, nervos, ſeu par quintum, qui a meatu ſphenoidis oſſis, quod ovatum appellatur, interdum dimanant; quemadmodum literæ N N guſtatorios alios exhibent nervos, ſeu par ſextum, qui duram hic matrem pervadentes, ut aliis nervis mos eſt, oculos ipſos invadunt. Licet inde intueri per literas O O auditus nervos, qui in magnum foramen petroſi oſſis ſese immittunt; & per literas

P P vagos nervos, extra cranium proficiſcentes, per oblongum illud foramen, quod ex temporum oſſe, & occipitii additamento gignitur. Sese deinde conſpiciendos exhibent per literam Q nervoſi linguæ motores rami, qui per ſuum meatum extra cranium prope occipitii additamentum ſese diffundentes ad linguam pertingunt: omneſque hi nervi a ſpinæ medulla intra cranium reciſi apparent. Denique ex litera D oſtenditur foramen, per quod ſpinæ medulla deſcendit, quæ tamen hic prætermittitur, & ex litera E ſitus, qua longitudinalis, ut ajunt, ſinus tranſit, ſignificatur.

TABULÆ XXII.

FIGURA I.

IN dexteriore parte ad latus cranium inciſum hac in Icone oſtenditur, idque ita, ut ſubter ipſum ſuis integumentis expoliatum ea cerebri pars in oculos ſese ingerat, a qua opticus nervus originem ſumit, per quem videndi ſpiritus invehitur.

Ac principio quidem per literam A licet intueri cranium in ſuas laminas diviſum, & per B B cerebelli laminulas ſuperficie tenus, atque in tranſverſum poſitas, quæ in gemina ejuſdem hemiſphæria, atque ſanguinea vaſa magis vergunt, & accedunt. Præterea ſub oculis eſt per literas C C dura mater, quæ majorem cerebri partem integit, cujus item portio ad ſiniſtram progrediens poſt ſuum ſeptum, cerebellum ipſum obſepit: quemadmodum per D medulloſa, eaque poſterior cerebri pars membranis exuta indicatur. Ex literis vero E E principia nervorum opticorum ab ipſa medulloſa parte prodeuntia apparent. Inſuper litera F opticorum nervorum coitionem indicat, & literæ G G opticum nervum dexterum,

rum, atque lævum, & litera H ſitum ipſius optici nervi ad orbitæ centrum ſubeuntis, ubi ocularium muſculorum principia ipſi adnectuntur. Porro ex literis ooo primus ad guſtatum pertinens nervus, ſeu quintum par, in ramulos expanſus oſtenditur, qui ab orbitæ centro dimanans in ſupercilium inſeritur: quemadmodum ex III muſculus elevator proprius palpebræ ſuperioris, ſublimem muſculum ſubtus involvens oſtenditur. Litera autem L adductorem muſculum, K deductorem, M alium obliquum muſculum, quem exteriorem vocant, N obliquum interiorem, PP adnatam, ut ajunt, oculi membranam, quæ ex parte exciſa conſpicitur, oſtendunt. Per literam denique Q palpebræ ſuperioris pilis exutæ ſemicirculus, per RR cranii pars inter orbitam, & radices naſi ad eam rem diſſecti, ut oculus extra ſitum locatus appareat, perque S communia inde integumenta exhibentur.

FIGURA II.

OCulus ex orbita detractus, nullaque tunica diremptus inſtar pyramidis hic conſpicitur. Per literam enim A opticus nervus dexter in cerebri centro ſucciſus indicatur, per B ſitus, unde in orbitæ centrum progreditur, & ubi muſculi ipſi adnectuntur, perque D muſculus, cui a pyramide nomen eſt, ſive ſuperioris palpebræ elevator exhibetur. Literæ vero CE obliquos muſculos, G ſuperiorem palpebram inverſam, M inferiorem cum ipſius palpebræ muſculo oſtendunt: quemadmodum L pilos, I corneam tunicam univerſum oculum undique cingentem, & K foramen parte priore, & media, quod latine pupula dicitur, & ex quo acies eſt, qua cernimus, demonſtrant.

FIGU-

FIGURA III.

LIcet inde intueri ſiniſtrum oculum cum nonnullis ipſius muſculis, tametſi non minus tunica ipſa adnata, quam adipe deſtitutum. Itaque litera A lævum nervum opticum intra cranium reciſum, & C ejuſdem intra ipſam orbitam progreſſum denotat, Ex literis vero II ſuperioris palpebræ elevator muſculus, ex B movens nervus, ex D trochlearis, quem ajunt, muſculi progreſſus, ejuſdemque carnoſa pars ſignificatur. Contra litera E trochleam, ſeu cartilagineum corpus ab illo muſculo perforatum oculis offert: quemadmodum E ejuſdem trochlearis muſculi extremitatem priore parte in medium oculum ſeſe inferentem, ſubter elevatorem palpebræ muſculum, oſtendit. Porro per literam E abducens interior muſculus, qui, quum bibituris cyathum intuentibus opem præbeat, *bibitorius* vocatur; per H deductor; per G abducens exterior, qui, quod iræ exprimendæ partes præcipuas habeat, *indignatorius* nuncupatur: quemadmodum per literas K K altera, & altera palpebrarum portio, perque L L earumdem coitio indicatur.

FIGURA IV.

HIC Auctor ſtatim exhibet oculum ſuis muſculis munitum; etſi primis integumentis exutum. Et ſane litera A patheticum nervum in trochlearem muſculum, ſive interiorem obliquum infixum indicat; K vero denotat muſculum *amatorium* dictum, quum amaſii ſe mutuo oblique, & quaſi rotantibus oculis intueantur. Item per literam L oſtenditur obliquus exterior, in quem nervus ſexti paris, quod alter quoque guſtatus eſt, inſeritur. Deinde per literam H licet intueri ſuperbum muſculum, ſeu attollentem: quemad-

modum per I humilem, ſeu deprimentem. Sub oculis quoque eſt per literam D tertii paris nervus, quem motorium quoque dicimus: contra per literam C tertii paris in ipſum immiſſi ramus. Porro ſese offert litera F indicans deductorem muſculum, & D alterum tertii paris, ſive motorium nervum oſtendens, qui ad communes etiam oculi tunicas pervadit. Inſuper in promptu eſt per literam G muſculus adductor, per D alter tertii paris ramus, quum in eundem muſculum ramorum ope, tum vero in obliqui exterioris muſculum injectus. Præterea ex litera N adnata tunica, quæ ſuis a muſculis non minus, quam ab ſclerotica ſejuncta conſpicitur. Denique per literam B quinti paris nervus, ſeu guſtus primus ſuis ramis per adnatam ipſam tunicam diffuſus, & per M prior oculi pars, perque E opticus nervus in poſteriorem ejuſdem partem ſese immittens exhibetur.

FIGURA V.

HAC in Icone nihil fuſius adnotandum putamus, quum ea omnia, quæ ad ipſam pertinent, jam ſupra in quarta Icone fuerint illuſtrata.

FIGURA VI.

EX poſteriore parte oculus affabre deformatus hic exhibetur, tametſi humore vitreo, atque criſtallina lente penitus deſtitutus. Et quidem ex litera A nervi optici intra orbitam ſecti pars oſtenditur; ex B vero alia ejuſdem portio, quæ intrinſecus oculum ſpectat, atque in retina extenditur. Per quatuor autem literas C C C C ſclerotica tunica quadripartito exciſa, atque optico nervo in ſuperiore angulo adnexa indicatur; quemadmodum per D D ciliare oſtenditur liga-

ligamentum, cum ciliaribus quoque proceſſibus, qui in choroideam tunicam deſinunt. Denique per literam E pupillæ foramen corneam verſus ducens ſignificatur.

FIGURA VII.

NUnc vero ad oculi naturam, atque indolem plene, accurateque demonſtrandam, Auctor ipſum oculum ſuis tunicis priore parte diremptum exhibet. Itaque litera A opticum nervum quodammodo ſeparatum denotat, quo facilius ejuſdem nervi cavum aliquod conſpiciatur. Literæ vero BBBB ſcleroticam indicant tunicam, quæ per priora latera, quorum uni angulo nervus opticus ſolet adhærere, quadripartita exponitur. Inſuper per literas C C C C anguli uveæ membranæ quadrifariam quoque diſciſſæ apparent: quemadmodum per D D prior ipſius uveæ facies a colore, quo perfunditur, *iris* dicta, perque E pupillæ foramen una cum criſtallina lente, quæ ad ipſam accedit, exhibetur.

FIGURA VIII.

HOC loco extrinſecus oculum tunicis omnibus exſpoliatum intuemur. Et ſane per literam A nervus opticus demonſtratur: quemadmodum per B ſclerotica tunica, per C corneæ circuitus, per D iris, perque E tandem pupilla cum criſtallino humore conſpectui ſubjicitur.

FIGURA IX.

HIC vero, ut interiores aliæ membranæ luculentius conſpicerentur, Auctor oculum ſclerotica tunica nudatum expoſuit. Igitur ex litera A ſub oculis eſt nervus opticus, &

per

per B perſpicere licet priorem choroideæ partem perforatam, & nigritie veluti quadam conſperſam, quæ uvea appellatur. Deinde per literas C C ejuſdem circulus ad iridem efficiendam ſubter D progrediens, & per literam E pupillæ foramen ſese conſpicendum offert.

FIGURA X.

COnſentaneum, imo plane neceſſarium cenſuit Auctor oculum hac in Icone ſclerotica tunica exſpoliatum exhibere, ut apertius choroideæ membranæ ſitus patefieret. Itaque litera A indicat nervum opticum, dum in poſteriorem oculi partem pervadit. Per literas vero B B choroideæ fibræ ciliaribus cum proceſſibus conjunctæ conſpiciuntur: quemadmodum ex literis C C C C indicantur ex omni genere vaſa, quæ inter iridem, & interiorem ſcleroticæ, ac choroideæ tunicæ partem diffunduntur. Porro per literam E ipſa ſclerotica tunica arte ſciſſa, & per DD eadem ſclerotica ab uvea ſejuncta, & voluta exhibetur, ut choroideæ membranæ fibræ ſub oculis eſſent. Denique literæ E E ſcleroticæ tunicæ partem ipſum opticum nervum obtegentem oſtendunt.

FIGURA XI.

AB inſtituta ratione minime deflectens Auctor hoc loci oculum conſpiciendum exhibet. Idcirco per literam A ſese iterum offert nervus opticus, quemadmodum per B B choroidea tunica ab ipſo optico nervo ſeparata, & producta. Licet inde intueri per literas C C C C oblongum choroideæ tunicæ hiatum, quo quidquid intus jacet, oſtenditur. Literæ autem D D fibrata ſcleroticæ latera, ſive exteriorem ejuſdem partem ſignificant. Denique ex litera E demonſtratur reti-

retina, quæ vitreum humorem extrinſecus attingit, & per literam F pupillæ circuitus, in quem iris quoque infigitur.

FIGURA XII.

PER literam A hac in Icone nervi optici extenſio indicatur: quemadmodum per B tunica retina cum vitreo humore conjuncta, ſuoque in ſitu locata apparet. C vero litera demonſtrat circulum, quo cryſtallinus humor continetur, & ab ipſa retina contegitur.

FIGURA XIII.

HIC autem poſteriore parte retina tunica ſex in angulos diviſa ab Auctore exhibetur, quorum aliqui literis AAA oſtenduntur, ipſique in gyrum deſinunt, atque in tunicam ſubtiliſſimam, quæ *arachnoides* dicitur, pertingunt. Item perſpicere licet per literam B ipſam tunicam, eamque expanſam, quæ cryſtallinum, & vitreum corpus cingit, ac poſteriore ſui parte conſpicienda proponitur.

FIGURA XIV.

UT vero oculi, quod natura ſortitus eſt, machinamentum innoteſcat, ipſum oculum indicat Auctor membranis omnibus deſtitutum: idque ea potiſſimum de cauſſa, ut vitreus humor appareat, qui tunica retina contectus per literas AAA demonſtratur. Literæ vero BBB iridem, quemadmodum C cryſtallinam lentem ipſius iridis circulo, ſeu pupillæ foramini adnexam, & retina obtectam oſtendit.

FIGURA XV.

INſuper exhibetur hic vitreus humor una cum membrana, quæ ipſum tegit, idque per literas A A A A. Ex litera autem B lentis cryſtallinæ ſedes in media priore parte vitrei humoris locata ſignificatur.

FIGURA XVI.

IN tranſverſum lens ipſa cryſtallina ſimul cum ejuſdem membrana, quam retina producit, hoc loco conſpectui ſubjicitur.

FIGURA XVII.

PRæterea hac in Icone eadem lens cryſtallina multis munita lamellis oculis ſese offert.

FIGURA XVIII.

DEnique per literam A cryſtallina ipſa lens in tranſverſum reciſa, ac ſuis lamellis prædita oſtenditur, ejuſque in medio alba quædam ſubſtantia conſpicienda objicitur.

TABULÆ XXIII.

FIGURA I.

AUditus organum ſimul cum ſuis omnibus partibus, quæ tam intrinſecus, quam extrinſecus auditioni uſui eſſe ſolent, Auctor in hac prima Icone oculis ſiſtit. Ac principio literæ A A A ſemicircularem caveam, quæ vulgo ſcapha dicitur, indicant: quemadmodum BB pinnam,

nam, ejuſdemque ſemicirculare principium demonſtrant. Ex litera vero E ejuſdem pinnæ extremitas antitrago adhærens indicatur. Item per F helix, per C C C anthelix, utrique a cavea, quam ſcapham dicunt, diviſi exhibentur. Perſpicere inde licet per literam H concham, perque GG exteriorem auditorii, ut ajunt, meatus directionem. Litera vero K denotat tragum, M antitragum, I diviſionem, quæ inter pinnam, & antitragum intercedit. Denique per literam L alveolus, per N lobi, ut ajunt, principium, per O prior ipſius regio apparet: quemadmodum per P ejuſdem extremitas, perque Q locus oſtenditur, ubi feminæ ornatus gratia gemmas apponere ſolent.

FIGURA II.

AUris hic ſuis cum muſculis in ſitu, quem ei natura dedit, conſpicienda proponitur. Hinc per literam A patet muſculus auris elevator, per BBB pars poſterior alæ aliquantulum introrſus inflexa, perque L antitragus apparet. Litera autem V exteriorem meatum, qui ad tympanum ducit, K infimam partem auris, I poſteriorem auriculæ partem, C muſculoſam extenſionem oblique aurem ſurſum adducentem indicat: quemadmodum D ipſius muſculi tendinem ſignificat. Ex litera vero E ſub oculis eſt deductor muſculus, & ex F ejuſdem tendo, ut ex G alius deductor, & ex H ipſiuſmet tendo demonſtratur. Licet inde intueri per literas T T integumenta ſupra vaſa ſanguinea ſubſtrata, quæ in os temporum ſeſe immittunt, & per R zygomaticum proceſſum, perque S maſſeteris portio exhibetur. Præterea ſub oculis verſantur literæ N N ſemicirculum, oſſiſque temporum extremitatem indicantes. Denique litera O temporum os, M dexterum ſinciput, & P integumenta oſtendit quamplurimis frontis muſculorum

lorum fibris adnexa, quibus temporum etiam muſculi portio Q ſubjacet.

FIGURA III.

TErtia autem hac in Icone temporum os ab aliis cranii offibus diductum: quemadmodum cartilagineus tubus extimæ auris amotus oculis objicitur. Apparet quoque concha, ſeu cavea intra notum proceſſum ducens. In ipſius porro caveæ centro, ſeu prima, quæ tympani cavea dicitur, duo officula conſpiciuntur: eaque ipſi tympano proximiora ſunt, & a figura, quam præſeferunt, mallei, & incudis nomina ſortiuntur. Hæc autem duo officula figura hujus Tabulæ XVII. enucleatius explicantur. Item in oculos ſese ingerunt ramuſculi quidam, quos ad extremum præfatæ conchæ latus os illud foras emittit, iique nervuli ſunt duri, ut ajunt, vaſorum ſanguineorum comites.

FIGURA IV.

OCulis hic ſubjicitur portio oſſis petroſi ſive temporum proceſſus, qua cerebrum ſpectat, ubi præcipue foramen majoris nervi auditorii, quem dicunt, conſpicitur: tum nervus in ipſum foramen inſertus, aliæque caveæ, quas integre os ipſum patefacit, una cum jugulari proceſſu a zygomatico oſſe ſubmoto, exhibentur.

FIGURA V.

HAC autem in Icone apparet unicus petroſi oſſis proceſſus ex interiore etiam parte illa, unde multis, ac variis in ipſo cavis remotis, oſſium tympani circuitus ſese offert;

fert; ſimulque incus, & malleus, quæ duo officula ſuo in ſitu rotundam inter caveam media locantur.

FIGURA VI.

UT vero Auctor omnia oſſa illa, quæ auditus organum effingunt, apertius demonſtret, ipſum petroſum proceſſum ſuo cum cavo planum, & æquabilem conſpiciendum exhibet, additis in ſitu officulis, quæ ejuſdem centrum reſpiciunt.

FIGURA VII.

HIC autem indicat idem Auctor alium proceſſum petroſum ſua cum ovata cavea ad latus ſpectandum.

FIGURA VIII.

INſuper ſimul cum prima cavea proceſſus petroſi, tria officula primo veluti oculorum intuitu ſuo in ſitu ſumma cum diligentia deformata occurrunt, incus nimirum, ſtapes, & malleus.

FIGURA IX.

PRæterea pars petroſi oſſis ſub oculis verſatur, tum ipſius labyrinthi ſemicirculi oſſi ipſi adhærentes conſpiciuntur, quorum duo in ejuſdem ſuperficie expreſſi ſua veluti ſponte ſeſe in oculos ingerunt.

FIGURA X.

OS ipſum petroſum interiore ex parte conſpiciendum exhibetur, addito anulari oſſe, quod tympano alligatur, & mallei manubrio, quod tympano quoque ipſi incumbit.

FIGURA XI.

PORro ipſum os hic conſpicitur, tametſi ſubſtratum, conſpirante extremitate ipſa meatus auditorii extimam partem ſpectantis.

FIGURA XII.

SUmma navitate uſus Auctor indicat hoc loco labyrinthum, integramque cochleam a petroſo ipſo proceſſu divulſam. Per A enim exhibetur foramen ad labyrinthum ducens, per B vero alterum foramen, quod ad cochleæ caveam viam ſternit. Litera autem D ejuſdem cochleæ circulum oſtendit: quemadmodum literæ C C C ſemicirculos tres denotant, qui labyrinthum efficiunt.

FIGURA XIII.

LItera A hac in Icone ſemicirculos, viaſque demonſtrat, quæ ad cochleam ducunt, etſi eadem ſeparata quoque a petroſo proceſſu conſpicitur, additis foraminulis illis, per quæ mollis auditorius dictus nervus ingreditur. Apparent deinde literæ B B indicantes alios labyrinthi ſemicirculos effractos, quo facilius cochlea pateat; hæc enim extima parte in hanc rem confracta deprehenditur, ut nimirum ſemicircularis ejus cavea per literam C in oculos incurrat.

FIGURA XIV.

HIC quoque mira Auctoris ſolertia deprehenditur, dum labyrinthum cum ſuis foraminibus, tribuſque ſupinatis ſemicirculis a petroſo proceſſu affabre ſejunxit.

FIGU-

FIGURA XV.

IN hac vero altera Icone ſemicirculus labyrinthum conflans a duobus aliis diviſus apparet, ejuſque ſemicircularis cavea exhibetur, hoc eſt, una ex ipſius labyrinthi viis intrinſecus conſpicua.

FIGURA XVI.

EXiguum tympani os rotundum ab inferiore parte conſpectui ſubjicitur, ubi ipſius tympani membranâ adnectitur, atque extenſa ſe prodit. Per literam enim A ejuſdem principium ſuperius, per C C cavea, per quam eadem membrana commodius adnectitur, denique per literam B tympani extremitas ab oſſe petroſo divulſa in eam rem conſpicitur, ut nimirum non omnino rotundum illud eſſe deprehendatur.

FIGURA XVII.

HOC loco ſtatim oculis objicitur exiguum ipſius tympani os extrinſecus, verſus ſcilicet auditus meatum. Literæ enim A B ejuſdem extremitatem indicant, quemadmodum C C C ipſius circulares inæqualitates.

FIGURA XVIII.

TRia vero hic ſeſe offerunt parva tympani oſſa, quæ in ipſius cavum abſconduntur. Per literam enim D malleus incudi conjunctus: quemadmodum per E ipſius apophyſis, per F mallei manubrium verſus tympanum, & per G incus denti valde ſimilis exhibetur. Item perſpicere licet per literam H illius apophyſin, perque I alteram apophyſin.

Deni-

Denique ex K conſpicitur os ſtapes dictum, quod cum ipſius incudis proceſſu verſus ovatam feneſtram locatur.

FIGURA XIX.

CONſpicitur hic pars mallei, qui ſupinatus apparet. Per literam enim M inferior ejuſdem pars indicatur: quemadmodum ex N ejuſdem mallei apophyſis, exque O manubrium exhibetur.

FIGURA XX.

QUemadmodum Auctor malleum ab aliis oſſibus ſejunctum nobis conſpiciendum propoſuit; ita incudem ſeparatim hoc loco oculis ſiſtit. Hinc per literam P apparet ipſius baſis cum duabus apophyſibus, iiſque diviſis, quæ ex literis Q R ſignificantur.

FIGURA XXI.

DEnique os ſtapes dictum hic quoque ſejunctim conſpicitur, quod diſtinctis quatuor apophyſibus conflatur. Per literam enim T ſuperior apophyſis perforata oſtenditur, tametſi ſæpe in corporum lacerationibus id non deprehendatur. Hanc autem ſequuntur duæ aliæ a lateribus poſitæ, quæ literis X, & Y indicantur. Denique per literam V ipſius oſſis tranſverſus proceſſus, ſive baſis deformata exhibetur.

TABULÆ XXIV.

FIGURA I.

SUA veluti ſponte hac in Icone ſeſe in oculos ingerunt vaſa, quæ per extimam corporis partem ſparſa, ſanguinem in cor deferunt, & vulgo venæ appellantur. Qua ex Icone, niſi meus me fallit animus, id potiſſimum utilitatis percipitur, quod ſectoribus, ſive Chirurgis facilius innoteſcat, quibus in locis in ægrotantium commodum incidi venas oporteat.

Ac principio quidem ſub oculis per literam A verſatur frontis vena, quæ ramis huc illuc ejectis per verticem progreditur uſque ad B, unde per cucurbitulas, aut hirudines in ſummo vertice ſanguis extrahitur. Item ex litera C oſtenditur temporalis, ut ajunt, arteriæ medius ramus, una cum aliis duobus æ F ad latera poſitis, quibus inciſis ad oculorum dolores, inflammationes, aliaſque hujus generis ægrotationes ſanandas, tum ad alios, atque alios capitis morbos depellendos ſanguis mitti ſolet. Licet inde intueri per literas B E geminos ramos jugularis externæ, quibus ut plurimum retro in auribus hirudines aptantur: quemadmodum per literam G ejuſdem jugularis ſiniſtrum majorem ramum, per quem ad pertinaces capitis valetudines ſolvendas ſanguis detrahitur. Item ex litera D duæ oſtenduntur venæ inter oculi angulum, & naſum, quarum una major ab interiore jugulari proficiſcitur, atque ad frontem fertur. Minor vero eſt ipſius propago, quæ ad naſi pinnam protenditur, & ex litera H indicatur. Sequitur vena, quam vulgo ſublingualem appellant, per literas L K exhibita. Hæc autem ipſius interioris jugularis propago eſt, quæ cum gula ſurſum in fau-

ces, & oris intima ſparſa evehitur: unde ſi ſanguis eliciatur, id vocis defectu, & gulæ inflammatione laborantibus maximo erit adjumento. Apparent deinde literæ MMMMM quinque, utrinque oſtendentes, ubi humerariæ venæ aperiri ſolent. Hæ autem ipſæ, quum in flexum cubiti appulerint, tripartitæ, mediæ, cephalicæ, & communis nomina ſortiuntur. Porro literæ N N N venam illam oſtendunt, quæ poſt cubiti flexuram ſubter cutem ad carpum accedens, baſilicæ venæ nomen ſortitur, eaque tribus in locis a ſectoribus inciditur. Literæ autem P Q r in extima ſiniſtræ manus parte denotant illas venas, quas ſalvatellas appellant. Præterea quum ex Literis L L; tum vero ex lineis ipſis adnexis ſignificantur vaſa pectoris, quibus cucurbitulæ admoventur, dum quis laterali morbo conflictatur. Hæc autem ipſa exteriora mammarum vaſa ſunt. Signum autem hoc * ſiniſtra in parte prope ilei criſtam venoſum canalem in glutios, quos vocant, vergentem demonſtrat. Litera vero X ſupra genu poſitam venam, atque iſchiaticis vaſis reſpondentem oſtendit, qua quidem vena inciſa iſchiacis remedium affertur. Item perſpicere licet per literam V poplitis venam, quam veteres incidebant exiſtimantes ex magno, & conſpicuo vaſe craſſiorem ſanguinem mitti. Literæ vero Y Y indicant venam, quæ ab oſſe iſchio, ex quo nomen ſumit, proficiſcitur, unde eadem inciſa vena, iſchiadicorum moleſtia ſublevatur. Rurſus ſignum hoc * ani venas exhibet, quibus hirudines ad ſanguinem eliciendum accommodantur: quemadmodum litera q ſcroti venas oſtendit, quæ incidi ſolent in ipſius ſcroti inflammatione curanda. Cavendum tamen, ne in ipſius ramicis paracenteſi, ut ajunt, incidantur. Denique ex litera R oſtenditur poplitis vena, quæ intrinſecus ad genu loco ſaphenæ aperiri ſolet ad ſalutem multis, variiſque morbis quærendam, niſi forte quis malit eam in pede incidere, quo loci minores ſunt canales literis T T, & S indicati. *FIGU-*

FIGURA II.

FEmur hic media in parte diſciſſum exhibetur, ejuſque majores oſtenduntur venæ, quarum una per priorem, & interiorem tibiæ regionem recta dejicit ramum unum in ſubditum malleolum, ubi idem clarus, atque conſpicuus apparet, & ſaphena dici ſolet, ex litera A indicata; altera vero, quam litera B oſtendit, cruralis nuncupatur. Saphena autem uteri, ſive poplitis vena quoque vocatur in ſitu, quem litera D exhibet, atque ramos extendit uſque ad interiorem malleolum E, & ad pollicem inde F, quibus in locis eamdem incidere commodum eſſe Chirurgi arbitrantur. Numeri denique 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 ipſarum venarum valvulas conſpectui ſubjiciunt.

FIGURA III.

UT vero Auctor rationem, qua ſanguis e brachii venis inciſis emittitur, oſtenderet, brachium ipſum non modo ab humero reciſum, ſed etiam ligaminibus devinctum hoc loco exhibuit. Litera enim A baſilicam venam indicat, ſeu axillarem, B mediam, C cephalicam, & D mediam communem extimam: quemadmodum E alteram extimam communem venam paulo elatiorem, & F extimam communem, humilem dictam oſtendit, ſimulque loca, quibus non minus commode, quam utiliter prædictæ venæ inciduntur. Numeri autem 1 2 3 4 5 6 7 valvulas demonſtrant extra canalem una cum ſuis nodis in ſitu conſpiciendas. Illud denique, quod hic manu ſtringitur, lignum eſt, quo venæ propter muſculorum actionem æquo plus comprimuntur, unde ex iiſdem inciſis ſanguis uberius profluit.

FIGU-

FIGURA IV.

EXhibetur hac in Icone brachii vena, quæ ſua in cavea nobis objicit non modo naturalia foramina, quibus ſanguis per totum corpus ſuam conficit circumactionem, verum etiam fibrarum texturam, ex quibus vas ipſum conſtat. Hæ fibræ vero aliæ rectæ, aliæ obliquæ, aliæ denique tranſverſæ per totidem lineas exhibentur. In integro autem canali ejuſdem Figuræ multæ, ac variæ ſciſſuræ apparent, unde admonemur, qua ratione ſectores venam incidant: ita tamen ut hiatus minor rectus, tranſverſuſque ſit, major autem obliquus. Sub oculis quoque verſantur cicatriculæ plus, minuſve patentes. Per literas denique B B ſuperiores venarum axillarium proceſſus exciſſi indicantur: quemadmodum per D C alii ductus ad cubiti flexum pariter exciſſi, quo facilius innoteſcat, quomodo intrinſecus eadem vaſa fruticentur.

TABULÆ XXV.

FIGURA I.

IN his, quæ ſequuntur, Iconibus Auctor in id incumbit, ut complexum nervorum, qui e ſpinæ medulla dimanantes per totum inde corpus diſperduntur, tum ſpinam ipſam una cum vertebris, ex quibus illa conflatur, oſtendat.

Igitur in hac prima Figura conſpicienda ſe offert prima colli vertebra, quæ ducto a fabula nomine *atlantica* dicitur, utpote quæ ſuſtinendo capiti præficiatur ſimul cum altera vertebra, quæ *epiſtrophæus*, ſive *axis* dicitur. Ac primo quidem per literam A oculis ſubjiciuntur duo ſpinoſi ſpondyli, qui ad ſecundam colli vertebram ſpectant. Literæ vero B B ſuperiores, & ad latera primæ vertebræ caveas poſitas, quibus

infe-

inferiores oſſis lambdoidei proceſſus excipiuntur, oſtendunt. Ex litera autem C indicatur ratio, qua memoratæ vertebræ per cartilaginem texuntur, & cohærent. Apparet inde per D proceſſus dentis nomine ob ſimilitudinem inſignitus, circa quem ſumma vertebra cum capite tamquam circa axim vertitur. Per literas vero E E occurrunt tranſverſi ipſius vertebræ proceſſus ſurſum evecti. Licet inde intueri per literas K K foramina illa a lateribus in ipſis proceſſibus excavata, in quæ venulæ, ac arteriæ commeant ad cerebrum ituræ. Ex litera autem F poſterior ejuſdem atlanticæ vertebræ ſemicirculus oſtenditur, tametſi ſpinoſo proceſſu deſtitutus. Denique pe G exhibetur magnum foramen, quo ſpinæ medulla cerebro commiſſa deſcendit: quemadmodum per H ſese prodit ſecundæ vertebræ latus cum ſuis ad latera bifidis apophyſibus.

FIGURA II.

EXhibentur hic præfatæ duæ vertebræ ad latus ſurſum evectæ, ut apertius in ipſis concluſæ partes conſpiciantur. Litera enim A indicat bifidum, & ſpinoſum proceſſum ad latus ſecundæ vertebræ affabre locatum. Litera vero I ejuſdem vertebræ priorem partem denotat, quæ a lateribus quoque conſpicitur. Ex litera B ovatus ſinus ſummæ vertebræ, cujus caput ab ipſo ſinu excipi nuper innuimus, apparet: quemadmodum per literam E oſtenditur ſumma vertebra intrinſecus, atque ad latus ſurſum evecta, ejuſque ſinui finitima. Licet inde intueri per literam D apophyſin ſecundæ vertebræ, quæ in apice inæqualis, atlanticæ motui inſtar cardinis famulatur. Denique ex litera F ſemicirculus ſummæ ipſius vertebræ, quæ ſpinis ex poſteriore parte deſtituta conſpicitur;

& ex G oculis objicitur foramen, quod intrinſecus cum vertebra ipſa communicatur.

FIGURA III.

AUctor hac in Icone priorem uniùs ex quinque lumborum vertebris partem conſpiciendam proponit. Literæ enim A A ſuperiorem ipſius vertebræ partem demonſtrant, quæ circuli cartilaginei ope aliis jungitur: tum B inferiorem partem cum cartilaginoſo circulo oſtendit. D vero litera proceſſus ad latera exiſtentes, & litera E binos alios proceſſus, qui alterius quoque vertebræ lateribus adhærent: quemadmodum litera C poſteriorem ſpinoſum proceſſum demonſtrat.

FIGURA IV.

ERe fore duxit Auctor hic quoque exhibere unam ex thoracis vertebris poſteriore intrinſecus parte conſpiciendam. Ac primo per literam A prior vertebræ ipſius planitudo exhibetur; per B ejuſdem amplum foramen, per quod ſpinæ medulla viam capeſſit, ſignificatur. Ex literis vero H I indicantur ſurſum ſpectantes ſuperiores ipſius proceſſus, ubi excepta coſtarum extrema in motum impelluntur. Inſuper literæ C D inferiores, & a lateribus poſitos proceſſus, coſtis ipſis inhærentes oſtendunt: quemadmodum per literas F G E indicatur ſpinoſus proceſſus bifidus, atque inæqualis, qui inſtar trianguli ſequenti vertebræ cohæret.

FIGURA V.

SEquitur hic altera thoracis vertebra, quæ ex poſteriore parte tamquam intuentium aſpectibus ſubjicitur. Litera enim A ſuperiorem vertebræ planitudinem cartilagine cinctam, & cir-

& circumfuſam oſtendit. Litera autem I indicat ſuperiores proceſſus ſurſum ſpectantes, & B ad latus ipſius vertebræ ſinum, ubi coſtæ extremitas nectitur: quemadmodum litera D demonſtrat foramen medullæ labenti pervium. Per literas EE tranſverſi ejuſdem vertebræ proceſſus exhibentur, perque G ſpina, ſive ſpinoſus bifidus proceſſus, cujus in media poſteriore parte vertebra illa affixa ſub oculis verſatur. Denique ex literis K L deorſum ſpectantes proceſſus, qui ad latus ſunt ejuſdem vertebræ, quique in aliam ei ſubditam vertebram inſinuantur, apparent.

FIGURA VI.

UNiverſa ſpina poſteriore ex parte una cum ſuis vertebris, quæ, oſſis ſacri vertebris exceptis, quatuor & viginti omnino ſunt, hac in Icone indicatur. Septem in cervice ſunt, quarum primam, quæ atlantica vocatur, A litera denotat. Altera epiſtrophæa eſt, cujus bifidatus ſpinoſus proceſſus per literam O ſignificatur, qui naturaliter aliquanto ſurſum exporrectus conſpicitur. Licet inde intueri per literam L tranſverſum ejuſdem vertebræ proceſſum, quo cum atlantica conjungitur: quemadmodum per B ultimam ex ſeptem illis vertebris, quæ ceteris earum major eſt, atque adeo ipſas ſuſtinet. Ex litera vero C ſeſe prodit prima thoracis vertebra, quæ numeratis undecim aliis ei ſubditis, atque colligatis duodecimum conficit numerum, dummodo numerationis initium ex numero 8 ducatur. Advertere hic tamen licet, alteram thoracis vertebram litera O indicatam, poſteriorem proceſſum non bifidum oſtendere, quod in undecima quoque conſpicitur. Per literam autem M poſterior, & ad latus poſitus proceſſus in quarta thoracis vertebra ſignificatur. Hic porro proceſſus non modo

do adnectitur ſecundæ vertebræ, ſed in ipſam etiam ſeſe inſinuando in motum agitur: idque quoque ex litera M in duodecima thoracis vertebra oſtenditur. Perſpicere inde licet per literam L proceſſum transverſum in ſexta ejuſdem thoracis vertebra, hoc eſt, tertium dorſualium vertebrarum lateribus adhærentem proceſſum: quæ quidem vertebræ cum aliis duabus alio in latere conjunctæ quinarium conficiunt numerum. Has ſequuntur lumborum vertebræ, quæ ceteris omnibus ampliores ſunt. Litera enim D denotat poſtremam thoracis vertebram, quam proxima lumborum excipit, una cum trifidis apophyſibus. Deinde ſub oculis verſantur quinque lumborum vertebræ, quæ numeris 20 21 22 23 24 deſignantur. In harum vero prima ex litera E indicatur tranſverſus ejuſdem proceſſus, exque N alter ad latus proceſſus ſurſum exporrectus, quique inferiori poſtremæ thoracis vertebræ adnectitur: quodque etiam per literam N exhibetur in lumborum ultimæ proxima, quo loci poſterior proceſſus per literam O indicatur. Per literam autem F ultima lumborum vertebra una cum ſuo proceſſu conſpicitur. Sequitur os ſacrum, quod inde fortaſſe nomen accepit, quod unicum in ſacrificiis veterum ad aram Numinum immolaretur. Hoc vero ſex ut plurimum conſtat partibus, quarum prima ex litera P indicata, per proceſſum ſurſum reflexum cum inferiore proceſſu extremæ lumborum vertebræ conjungitur. Porro litera G exhibet ad latus memoratæ primæ partis proceſſum, qui interiori oſſis ilei, quod hic deſideratur, faciei adhæret. Perſpicere inde licet per literam G ejuſdem oſſis ſacri partem, quæ cavis pervia conſpicitur uſque ad literam Q, ubi eadem interiori ilei lateri adnectitur. Item ex litera R ad latus oſtenditur poſterior præfati oſſis pars, quæ uſque ad poſteriorem ilei ſemicirculum per literam P exhibitum in motum impellitur. Contra literæ VV tres ſpinoſos ſacri oſſis proceſſus

ceſſus exprimunt, & numeri 2 3 4 5 in eamdem rem ad foramina interjecti plures e ſpinæ medulla prodeuntes, plurimaſque in partes abeuntes nervos oculis objiciunt. X vero litera oblongam denotat caveam, ubi intrinſecus non nulla foramina deſcriptis majora deprehenduntur. Sub oculis deinde eſt per literam S oſſis ſacri extremum, & per H ejuſdem latus, perque I tria oſſicula oſſis coccygis exhibentur, quorum primum per T, ultimum vero, cartilaginoſum illud quidem, & acutum per literam K indicatur.

FIGURA VII.

HAC vero in Figura oculis ſubjicitur ſpinæ medulla poſteriore parte extra vertebras conſpicienda, ſimulque apparent nervorum ramuſculi quaſi in unum per varios faſciculos compreſſi, atque coarctati, ex quibus ſingulæ exilium ejuſdem ſpinæ nervorum ſurgunt conjugationes.

Ac primo per literam A principium exhibetur in cerebello reciſum, illudque ad quartum cerebri ventriculum, qui ibi exprimitur, ſpectans. Numeri autem 1 2 3 4 5 6 7 ſeptem nervorum, quos cervicales appellant, paria demonſtrant. Litera vero B primum cervicis dexterum nervum; C autem ipſius poſtremum indicat. Poſterior tamen ſpinæ medullæ pars, quod pertinet ad ſeptem hæc nervorum paria, membranis, dura ſcilicet, & pia matre, penitus in eam rem exuta conſpicitur, ut alba medulloſa pars, nervuſque quilibet appareat. Præfati autem nervi quaſi ſub finem veluti quadam vagina contecti exhibentur. Hos porro cervicis nervos dorſuales ſequuntur, qui ortum trahunt ab illa ſpinæ regione, cui parva ſtella præfigitur, & numeris 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 continentur. Etenim per literam D primus, & dexter dorſualis nervus oſtenditur.

Omnes autem dorſuales, qui ſequuntur, nervi ad eam normam exacti ſunt, quam cervicis nervi, de quibus ſupra loquuti ſumus, præſeferebant: hoc eſt, ſinguli in tot veluti faſciculos colligati, ac communibus membranis denudati conſpiciuntur, quarum portio ſub finem ipſorum nervorum inſtar alicujus vaginæ oculis objicitur.

E lumbis inde quinque nervi efferuntur, qui præterquam quod numeris 20 21 22 23 24 includuntur, præterea primus eorum litera F, poſtremus vero litera G indicatur. Ex oſſe ſacro denique quatuor, qui utrinque excidunt, nervi proficiſcuntur, & tum literis H, & I, tum numeris 25 26 27 28 ſignificantur. Animadvertendum tamen eſt, quum in ſuperioribus illis lumborum, tum vero in poſtremis hiſce oſſis ſacri nervis eamdem ſeriem, rationem, atque ordinem deprehendi, quibus ceteros antea a nobis indicatos exprimi, ac deſcribi nuper docuimus. Ex quibus colligi poteſt, omnes e ſpinæ medulla tractas conjugationes eſſe duo de triginta: ſeptem quidem e cervice, a dorſo duodecim, quinque ex lumbis, ab oſſe ſacro quatuor. Denique e coccygis, & caudæ extremo nervum conjugii expertem deducit Auctor, quem litera K exhibet, eumque in unum quoque faſciculum ceterorum more conjectum.

TABULÆ XXVI.

FIGURA I.

SUpereſt ea pars, quæ ad univerſam oſſeam cratem, quam Græci σκέλετον vocant, pertinet. Quæ quo facilius accipi poſſit, non minus poſitum, ordinem, quam figuram oſſium exhibet Auctor hac in Icone.

Ac principio litera A coronariam ſuturam oſtendit, B autem os frontis, & Z os ipſum ſui proceſſus ope cum naſi acumine conjunctum ſignificat. Sese offert deinde per literam d proceſſus zygomaticus dexter, & per x ſuperior, perque T inferior maxilla exhibetur. Item ex D poſtrema cervicis vertebra, & per K dextera clavicula, tum per literas aa eadem clavicula cum acromio, & ſcapula connexa conſpectui ſubjicitur. Perſpicere inde licet per H primum ſterni os, per I oblongam cartilaginem, quæ a Græcis ξιφοειδης, id eſt, enſis effigie ducta nuncupatur. Numeri vero 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 coſtas utrinque duodecim denotant, quæ cum pectoris oſſe committuntur extremis cartilaginibus, & in leves ſinus illius oſſis conduntur: quam ob rem integræ, & perfectæ appellantur. Quæ vero neutiquam ad os pectoris perveniunt, ſed inchoatæ, & quaſi mutilæ in cartilagines finiuntur, nothæ, & adulterinæ nuncupantur, & quinque numero ſunt. Cartilago autem ſingularum coſtarum per literas æ exhibetur. Præterea litera E indicat ex quinque lumborum primam vertebram, tum ipſarum vertebrarum baſim, & a lateribus emergentes proceſſus. Sub oculis inde verſatur litera B exhibens ſummum dexteri humeri caput, in ſiniſtræ ſcapulæ ſinu collocatum, quemadmodum per b ipſius ſiniſtræ ſcapulæ cavea, perque L ſcapula ipſa ſignificatur. Apparet præterea per literam M prior humeri pars, tum per N exterior ejuſdem proceſſus, qui in cubiti ſumma parte trochlearum more convolvitur. Sub oculis inde eſt per græcam literam ♪ ſuperius radii caput, quod rotundum eſt, & leviter ſinuatum, & exiguum humeri nodum excipit: quemadmodum per P radii progreſſus, ejuſque media, quæ hiantia ſunt, inæqualia, atque disjuncta, oſtenduntur, & per alteram hanc literam Y ejuſdem caput inferius; amplum illud quoque, & rotundum apparet, cui palmæ pars ſumma

inſiſtit. Porro autem per literam Q cubiti os exhibetur, & per C ipſius cubiti extremum radio colligatum, perque O radii extremum indicatur: quæ duo oſſa hac inferiore parte ad primam palmæ partem cocunt, occurritque cubitus minimo digito, radius pollici. Literæ autem R R ſeptem carpi oſſicula demonſtrant, quæ in duos ordines, coſque inter ſe inæquales diſtributa conſpiciuntur. Sequuntur quatuor metacarpi oſſa inferius ſuis cum tuberculis per literas S S indicata. A ſingulis autem hiſce oſſibus ſinguli digiti directe porriguntur, uno pollice dempto, qui oblique metacarpo videtur additus. Externis oſſibus digiti conſtant ſinguli, præter pollicem tribus conſtitutum, prioriſque nodus conſequentis ſinum perpetuo ſubit. Porro per literas T T ipſa digitorum oſſa apparent in tres ordines diviſa, quæ, dummodo pollicis oſſa excipias, duodecim omnino numerantur. Inſuper litera F denotat os ſacrum, ejuſdemque priorem partem, quæ cum aliis oſſiculis ipſum conflantibus conjuncta deprehenditur. Literæ vero V V ilium oſſa intrinſecus cava, & criſtam ad eorumdem ilium dexteram partem poſitam demonſtrat: quemadmodum per G ſub oculis eſt coccyx, ſeu cauda, quæ in tria officula dividitur. Apparet inde litera X indicans coxendicis acetabulum, in quod conjectum femoris caput convolvitur. Conſpicitur quoque per Y os pubis, ejuſque prior pars: tum per literas i i perſpicitur ſumma femoris pars, quæ in coxendicis acetabulum reconditur. Licet inde intueri per literas o o exertam femoris cervicem, ſive collum, & per d d ipſius femoris proceſſum, hoc eſt, majorem trochanterem, qui foras exilit; perque e ſiniſtrum trochanterem, qui præfato minor ſeſe prodit. Item ex literis Z Z ipſum femur, tum ex hoc ſigno ε oſtenditur extremum femoris tuberculis duobus inferius diſcretum, quibus idem cruri cohæret; ut per g exhibetur ſiniſtrum tuberculum,

quod

quod a fibulæ ſinu excavato excipitur, & per literas f f, patella, cui poples eſt a tergo. Græca autem litera ϱ ſummum tibiæ caput, ejuſdemque ad latus proceſſum, quo ipſa cum femore jungitur: quemadmodum altera græca litera π dexteram ſuram, ſive fibulam denotat, ejuſque apicem, qui extrinſecus ipſi tibiæ a lateribus adnectitur. Porro autem per literam g oculis objicitur ſiniſtra ſura, ejuſdemque ad talum progreſſus, & per i media dexteræ ſuræ inæqualitas, & per l ipſius dexterum extremum, quod parti infimæ ejuſdem tibiæ adhæret. Tibiæ, ſuræque partes infimæ non modice utrinque prominentes, & carne nudatæ malleoli ſunt. Hæ talum n, a lateribus ne excidat, arcte comprehenſum firmant. Sub oculis inde verſantur per literas m m extrema tibiarum latera, quæ hac eadem de cauſſa intrinſecus malleolos conflant: quemadmodum per n indicatur os talum, quod tibiæ fornicatum extremum excipit ea parte, cui & aſtragalo nomen eſt. Litera vero h exhibet os calcis ſiniſtrum cum naviculari conjunctum, ut literæ o o tarſi latera, & p q r s ea ſignificant oſſa, quæ ſimul cum calcis, & naviculari oſſe ad dexterum tarſum conficiendum conſpirant. Denique per literas t t oculis ſubjiciuntur metatarſi oſſa, quæ, præter pollicem, quatuor omnino ſunt: tum per u u quatuordecim oſſa digitos omnes explentia oſtenduntur.

FIGURA II.

TExtum cunctorum oſſium, & compaginem ad latus conſpiciendam hac in Icone Auctor ipſe proponit.

Ac principio per literam A indicatur pars, quæ ad latus eſt, coronarii oſſis, & ſuturæ; per B ejuſdem prior pars, per E ſinciput dexterum, per F occipitium, perque G os, quod uſitatiore vocabulo petroſum appellatur. Item ex lite-

ra D ſquamoſa oſſis temporum ſutura, ex H lamdoidea quoque ſutura, & ex K zygomaticus proceſſus oſtenditur. Numerus porro 10 indicat genarum os, ubi ſe exhibet pudor; tum litera I ſphenoidis oſſis portionem, & litera o coronoidem inferioris maxillæ proceſſum parum a condyloide ſemotum ſignificat. Licet intueri per L dexterum ejuſdem maxillæ latus, per M N ſeptem colli vertebras, earumque ad dexterum latus proceſſum ſpinoſum, perque P primum ſterni os: quemadmodum per Q cartilago, quam mucronatam dicunt, & per R dextera clavicula exhibentur. Præterea numeri 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 coſtas indicant, & cartilaginum extrema; S vero denotat ſcapulam, ejuſque ſuperiorem partem, & a ipſius acromion, & b coracoidem proceſſum oſtendit. Graeca contra litera ξ ſcapulæ cervicem, & altera græca litera ⊖ humeri caput demonſtrat. Sub oculis inde verſantur per literas TT humeri ipſi, quorum dexter extrinſecus, ſiniſter vero intrinſecus apparet. Inſuper per C quum ſiniſtri radii, tum cubiti quoque initium exhibetur, per T poſterior, inferiorque ſinus dexteri humeri, cui cubiti extremum inſeritur, perque C cubiti dexterum os, atque ejuſdem caput conſpiciendum ſe offert. Porro oculis quoque objicitur ex litera o inferior humeri proceſſus, & per s rotunda oſſis radii cervix humero ipſi connexa: quemadmodum litera V ſummum oſſis cubiti caput, & Y Y utriuſque cubiti progreſſum ſignificant. Conſpectui item ſubjicitur litera Z indicans os radii carpum verſus extentum, tum p exhibens ejuſdem dexteram epiphyſin, & græca litera π dexteram quoque cubiti epiphyſin demonſtrans. Per literas autem e e ſese offerunt utriuſque carpi oſſa in duos ordines diviſa, quæ in utraque manu quatuordecim omnino ſunt. Deinde litera x denotat radii extremum ſua cum epiphyſi, & d radii dexterum os, atque adeo ipſum cubitum, cui

eſt

eſt carpo adhæſio. Sequuntur literæ f f indicantes metacarpum, ideſt imam palmam, quatuor oſſibus contextum: tum litera g exhibet dextera in manu digitorum oſſa, quæ dempto pollice, duodecim omnino ſunt, & in tres ordines diviſa conſpiciuntur. Perſpicere quoque licet per literam O poſteriorem apophyſin primæ lumborum vertebræ. Græca contra litera μ tertiam vertebram ſimul cum ſuis proceſſibus poſteriore parte ſese aliquantulum exporrigentibus, iiſque in multos item, ac varios diviſis oſtendit. Altera vero græca litera λ extremam indicat lumborum vertebram, quæ valide, & a lateribus oſſi iſchio conjungitur. Præterea ſub oculis eſt per literam h ſiniſtrum os ileum intus ſinuatum. Numerus vero 3 dexterum ilei criſtæ verticem, & 4 os ipſum ileum ad iſchium uſque ſese extendens demonſtrat. Porro ex litera Z prior ejuſdem ilei oſſis proceſſus apparet, qui per literas quoque i, & K propagatus exhibetur: quemadmodum ex i dexterum iſchii os, & ex l os pubis oſtenditur, quod amplo, & oblongo patet foramine. Numerus inde 7 denotat femoris caput in acetabulum ſuum conjectum, & numerus 6 femoris cervicem, ſive collum ſignificat: ut litera n dexteri femoris proceſſum, vulgo trochanterem magnum, & m ipſum femur dexterum media ſui parte conſpiciendum oſtendit. Sequitur litera x indicans inferius femoris extremum, quod priore ſui parte exhibetur. Item literæ o o genuum rotulas indicant, & p femoris proceſſus cum ſuræ capite colligatos exhibet. Per græcam autem literam ω ſuprema ſuræ pars, & per ψ ſummum tibiæ caput inferioribus femoris proceſſibus adhærens exhibetur. Ex litera vero r ipſa tibia indicatur, quæ talum verſus procedens excipitur ea parte tali, cui & aſtragalo nomen eſt. Jam vero litera s mediam ſuræ partem, & q ejuſdem extenſionem uſque ad exteriorem malleolum oſtendit: quemadmodum x ipſum tali os,

una-

u naviculare, z cuboidem, y calcanei offis extremum, & t partem offis tali ad latus poſitam demonſtrat. Sequuntur græcæ literæ α ε δ ν υ indicantes quinque offa, quæ monti pedis nuncupato, ſive tarſo impacta ſunt, quæ quinque pariter imæ plantæ, ſive metatarſi offibus in dextero pede connectuntur. Denique per numerum 9, literamque q ejuſdem metatarſi offa introrſum arcuata, perque N N quinque offa, ex quibus digiti conflantur, apparent. Hæc porro terna ſunt in ſingulis digitis, ſi pollicem excipias, qui duobus tantum conſtat.

FIGURA III.

OSſeam ipſam compagem, qua parte dorſum ſpectat, Auctor hic exhibet conſpiciendam.

Litera enim A frontis os oſtendit, E ſiniſtrum ſinciput, C ſagittalem, quam dicunt, ſuturam, B lamdoideam, G occipitium, F ſphenoidis offis portionem, D ſiniſtram offis temporum ſquamoſam ſuturam denotat: quemadmodum H ipſum temporum os, ſeu bregma, I proceſſum maſtoideum, L jugalem, ſeu zygomaticum, K genarum os, & M inferiorem maxillam demonſtrat. Ex litera vero g ipſius maxillæ condyloides, & ex q coronoides apophyſis indicatur. Licet inde intueri per literam H primam cervicis vertebram, quæ trito apud Anatomicos vocabulo atlantica nuncupatur, per O thoracis primam vertebram, per P primam lumborum, perque Q eorumdem poſtremam ceteris ampliorem. Sub oculis item verſatur per literam K ad latus proceſſus quartæ vertebræ lumborum. Ex græca vero litera λ inferior ipſius proceſſus apparet, idem a lateribus poſitus: ut per græcas quoque literas ι ο poſteriores apophyſes non magis tertiæ, quam quartæ lumborum vertebræ indicantur. Exhibet inde

lite-

litera R ossis sacri extremum, a quo os aliud appensum demittitur, quod Græcis κόκκυξ, nostris cauda dici possit. Præterea per numeros 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 æque veræ, ac nothæ, sive adulterinæ costæ exhibentur, quarum veræ illæ sunt, quæ in interiora leniter flexæ committuntur cum osse pectoris; inchoatæ autem, & quasi mutilæ dicuntur illæ, quæ in cartilaginem versæ extremis abdominis partibus inhæresçunt. Sub oculis quoque est per literam T posterior scapulae pars, per literas V V acromion, perque S S coracoides processus indicatur. Insuper ex græca litera μ humeri caput, ex o cervix, ex X humerus ipse, ac media, exteriorque ipsius pars ostenditur. Item altera hæc græca litera ξ exteriorem humeri processum denotat, Y vero cubiti apophysin, quæ ab inferioribus humeri proceſſibus excipitur: quemadmodum per b cubiti, radiique media, quæ etsi naturaliter hiantia sunt, & disjuncta, hic tamen coeunt; occurritque radii extremum V primis carpi ossibus. Porro autem litera a indicat ipsum cubitum, Z vero cubiti pariter extremum intrinsecus ipsi radio adnexum ostendit. Sequuntur literæ C C ostendentes carpum cum suis ossibus: tum per d exhibetur primum metacarpi os ad pollicem contendens, & per e ultimus nodus medii digiti dexteræ manus, ac per f præterea exterior ilei ossis portio, perque g ostenditur ipsius apophysis, quæ in femoris acetabulum sese immittit. Porro græca litera π denotat oblongam caveam, quæ ut plurimum ab ileo osse conflatur. X vero litera indicat posteriorem ejusdem cristam, quæ a lateribus ossi sacro valide adhæret. Per græcas autem literas κφ ipsius apex, qui cartilaginibus contegitur, per T prior ossis ilei pars, per græcam item literam π sinistrum femoris caput, perque ς femoris ipsius cervix demonstratur. Insuper perspicere licet ex litera i magnum trochanterem, ex l minorem, sive parvum, ex h non minus me-

dia femoris pars, quam ejuſdem inæqualitas indicatur. Literæ vero M M genuum rotulas exhibent, & græcæ literæ ω ω ω ω poſteriores apophyſes oſſium femoris denotant: quemadmodum n ſummum ſiniſtræ tibiæ caput, & ♪ ejuſdem tibiæ extenſionem, cui ipſum femur adnectitur, oſtendit. Apparet inde per literam s ſummum ſuræ caput, quod extrinſecus ipſi tibiæ adhæret, per q eadem ſura ad tali uſque latus progrediens, perque s memoratæ ſuræ tuber ſignificatur, ex quo in pedis monte externus malleolus efficitur. Porro litera p indicat medium tibiæ, & r ipſius extremum, quod intus alterum malleolum conflat. In conſpectum deinde ſe prodit per literas t t uterque talus, qui ceu baſis utrique tibiæ ſubjicitur, & per u u calcis oſſa extrinſecus apparent, perque o cuboides os talo priore parte conjunctum conſpicitur. Præterea ſub oculis eſt per y exterior pars navicularis oſſis, & per Y inferior ejuſdem pars, quæ in ima pedis planta arcuata deprehenditur: quemadmodum per B c tria alia parva oſſa, quæ ad tarſum efficiendum conſpirantia cum nonnullis primis metatarſi oſſibus apta, colligataque conſpiciuntur. Denique græcæ hæ literæ ♪♪ indicant quinque ipſius metatarſi oſſa, quæ non minus ſummam, quam imam pedis plantam ſpectant, & hæc duo ſigna ε ε tres oſſium ordines denotant, quæ ſimul cum aliis extremi pedis digitos efficiunt.

TABU-

TABULÆ XXVII.

FIGURÆ I.

QUas ſupra recenſuimus corporis humani partes, ſatis eſſ. viderentur ad ſingularum naturam, poſitum, ac figuram indicandam, ſi in eis conſidere poſſet, & contineri feminarum quoque ſtructura, ac machinamentum. At vero quoniam hoc ipſum in earum explicatione partium prætermittendum erat, idcirco in hac ultima Icone, Auctore præeunte, id nobis ipſi propoſuimus, ut duo, quæ feminis ſunt, ventris cava e priore regione, & a lateribus conſpicienda exhiberemus, additis eorumdem partibus. Imus vero venter, ſeu abdomen apertum conſpectui ſubjicitur, quo facilius uteri, aliorumque illuc conſpirantium vaſorum poſitus obſervari poſſint.

Ac primo literæ R R R imi ventris integumenta diſciſſa, & ad latera utrinque revoluta oſtendunt, additis abdominis ipſius muſculis, & peritonæo. Per literas vero A A ſese produnt coſtarum nervi, quos gangliformes vocant, tum eorumdem in lumborum vertebras inſitiones, quæ ſepis inſtar plurimis ductibus fruticantur. Licet inde intueri per literas D D D nervum illum gangliformem, qui tres inſignes ramulos ſiniſtrorſum expandit, arteriam majorem amplectentes; quemadmodum per F F venarum vaſa, quæ in uteri ovaria, ut ajunt, feruntur, perque P P lumborum muſculi indicantur. Præterea ex litera E exhibetur dexter magni lumborum nervi proceſſus in os ſacrum contendens, & ex G læva ilium arteria multis, variiſque ramis ad inguen uſque propagata, cui ſese inſerere conſpicitur. Item per literam B ſub oculis verſantur ramuſculi gangliformes dicti, qui ad uterum vergunt: tum per O apparet ſucciſa coli inteſtini

pars,

pars, quæ in ſubditum uterum excurrit. Porro autem litera C denotat deſcendentem truncum majoris arteriæ, & literæ I I tum dexteram, tum lævam ilium venam demonſtrant, quæ in duos inſignes ramos, qui uſitatiore vocabulo hypogaſtrici appellantur, diviſa, perque gangliformes nervos progrediens, in uteri latera contendit. Denique per literam K ſub oculis eſt exterior uteri pars, per literas M M feminarum teſticuli, ſive ovaria, ut ajunt, per N ipſius uteri tuba, quæ a repertore *Falloppiana* nuncupatur, perque Q mons veneris ſignificatur, qui ſuper vulvæ cervicem, quam canalem vocant, ſe oſtendit.

FIGURA II.

SUblatis integumentis communibus, & ab utraque parte huc, atque illuc volutis ſese primo oculorum intuitu conſpiciendum offert fœtus, ea quidem ratione, qua feminæ certo menſium ſpatio eumdem continent. In hac autem poſtrema Icone nihil viſum eſt addere, propterea quod jam in ſuperiore totam uteri texturam, & quidquid ad ipſum uterum ſpectat, ſatis ſuperque indicavimus.

FINIS.

ROMAE . cIↃ. IↃ. cc. xxcviii.
EXCVDEBAT . IOHANNES . ZEMPEL . TYPOGRAPHVS
DE . VIA . VRSI . AD . D. LVCIAE
SALVO . DOMINO . NOSTRO
PIO . SEXTO . PONT. MAX.
B. R. P. NAT.
PONTIFICATVS . EIVS . ANNO . xiiii.
QVI . VIVAT . FLOREAT . FELIX . IMPERET

TABVLA. I.



Petr.s Berret.s Cortonen.s delin.

TAB. II.



TAB. III.

FIG. I.



FIG. III

FIG. II.



TAB. IIII.

TAB. V.

TAB. VI.

TAB. VII.

TAB. VIII.



TAB. IX.

TAB. X.

FIG. I.



FIG. II.

TAB. XI.

FIG. I.



FIG. II.

F

TAB. XII.

FIG. I

FIG. II.

TAB. XIII.

FIG. I.



FIG. II.

TAB. XIIII.

TAB. XV.



TAB. XVI.

FIG. I.



TAB. XVII.

TAB. XVIII.

FIG. I.

TAB. XIX.

FIG. I.



TAB. XX.


Fig. I.
I.
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIIII.
XV.
XVI.
XVII.
XVIII.
XIX.
XX.
XXI.
XXII.
XXIII.
XXIIII.
XXV.
XXVI.
XXVII.
XXVIII.
XXIX.
XXX.

TAB XXI

FIG. I.

II



III.

IIII

V

VI.



B

TAB. XXII.

FIGVRA. I.



II.

III.



V



IIII.

VI.



VII.



VIII.



VIIII.

X.

XI.

XII.

XIII.

XIIII.



XV.



XVI.

XVII.

XVIII.

TAB. XXIII.

FIG. I.

II



III

IIII



V

VI

VII

VIII



VIIII

X

XI

XII

XIII

XIIII

XV

XVI



XVII

XVIII

XIX

XX

XXI

TAB. XXIII

FIG. I.



TAB. XXV

FIG. I.

FIG. II.

FIG. III.



FIG. IV.



FIG. V.

FIG. VI.



FIG. VII.





TAB. XXVI

FIG. I.

FIG. II.

FIG. III.



TAB

Figura I.



Figura II.